



Qvadripartitae Conciones Stanislai Grodicii Societatis Iesv

Qvarum Primae, Timorem Sanctvm Incvtiunt; secundae Fidem Catholicam confirmant; tertiae Spem erigunt; postremae diuinam in nobis Charitatem excitant ...

Continet sex Dominicas Quadragesimae, & coenam cum paßione Domini

Grodzicki, Stanisław

Ingolstadii, 1609

Feria Qvinta In Coena Domini. Euang. Ioan. cap. 13.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56003](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56003)



FERIA QVIN-
TA IN COENA
DOMINI.

Euang. Ioan. cap 13.

ANTE diem festum Paschæ
sciens Iesus quia venit ho-
ra eius vt transeat ex hoc
mundo ad patrem : cum dilexif-
set suos qui erant in mundo in fi-
nem dilexit eos. Et cœna facta
cum diabolus iam misisset in cor vt
traderet eum Iudas Simonis Iscari-
otis. Sciens quia omnia dedit ei Pa-
ter in manus & quia à Deo exiuit &
ad Patrem vadit, surgit à cœna & po-
nit vestimēta sua. Et cum accepisset
lin-teum præcinxit se, Deinde misit
aquã in peluim & cœpit lauare pe-
des

des discipulorum & tergere linteo quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrū & dicit ei Petrus Domine tu mihi lauas pedes? Respondit ei Iesus & dixit ei: Quod ego facio tu nescis modo, scies autē postea. Dicit ei Petrus Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Iesus: si non lauero te non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus: Domine non tantū pedes meos sed & manus & caput. Dicit ei Iesus: qui lotus est non indiget nisi ut pedes lauet sed est mundus totus. Et vos mundi estis sed non omnes; sciebat enim quis nam esset qui traderet eum: propterea dixit Non estis mundi omnes. Postquam ergo lauit pedes eorū accepit vestimenta sua. Et cum recubisset iterum dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? vos vocatis me Magister & Dñe? & benedicitis sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes

des. Exemplum enim dedi vobis vt
quemadmodum ego feci vobis ita
& vos faciatis.

P A R T I T I O.

VNiuerſim in tres partes Euangelium hoc di-
uidi poteſt, In Proœmium Mirandum ſanè
tum ob copiam, tum ob maiestatem: In Historiã
qua lotionem pedum à Christo Apostolis factam
conſcribit. Et in Epilogum qui exhortationem
continet.

In nobis vero: cum alia de Iuda dicta tum il-
lud in proœmio positum. Cum diabolus iam
miſiſſet in cor vt traderet eum Iudas Simo-
nis Iſcariotis, iustum generare timorẽ poterunt.
Prima vero & vltima Euangelij verba fidem
firmabunt Catholicam: porro textus Euangelij
diſcuſſio & explanatio tum difficultates toller,
tum doctrinas morum ſuppeditabit, tum ad ſpem
plurima præbebit incitamenta. Denique theſauri
hodie nobis à Christo Ieſu relicti & variarum
cœnarum totiusque hiftoriæ diligens considera-
tio tum gratitudinem, tum charitatem, tum pe-
diſſequam illius humilitatem excitare
augere & confirmare vale-
bunt in nobis.

* *

CON-



IVD AS I.
SCARIO-
TES.

CONCIO I. TIMOR.

*Cum diabolus iam misisset in cor ut tra-
deret eum Iudas Simonis Iscariotes.*

*Prolapsio
duorū Apo-
stolorum.
Psal. 44. 17.*

MAIORVM ruina minorum horror & cautio est. Quid maius Apostolis quos Deus constituit principes super omnem terram? Ex horum qui duodecim tantum erant numero duorū Petri videlicet & Iudæ lapsum innuit nobis hodiernū Euangelium. Innuit inquam Petri (nam Iudæ clarè exprimit) Arbitror enim illum hic ne venialiter quidem peccasse: at vero nocte eadem cecidit ut nobis gravissimè. Cuius prolapsionis id quod audistis in Euangelio præludium fortè aliquod fuit. Vehementes enim isti Petri affectus eo illū impulisse videntur. Nonne duos eiusmodi actus hac ipsa hora cōiugisse videmus? Vnū hic notatum verbis istis. **NON LAVABIS MIHI PEDES IN ÆTERNVM.** Alterum illis apud aliū, *Et si omnes scandalizati fuerint in te ego nunquam scandalizabor.* Atque utinam sicut hic cōminante Christo Petrus cristas deposuit ita ibi prædicenti eidem Iesu lapsum

lapsus ipsius credere & humiliare se voluisset, nec in illa verba prorupisset, *etiamsi oportuerit me mori tecum non te negabo*, quis scit an si id egisset à tam immani scopulo immunis non euasisset? Verum hæc diuinæ sunt relinquenda cognitioni, à nobis vero differentia inter duas istas prolapsiones perpendenda. Est enim tanta quanta maior esse nequit. Nam Petrus quidem resipiscentiæ & salutis, Iudas vero desperationis & perditionis typum dedit. Vterque autem magnum nobis timorè merito incutere debet. Ne videlicet aut cum Iuda in obdurationis baratrum incidamus; aut cum Petro in nimiam de viribus nostris confidentiam præsumptuosè incurramus.

ibid. v. 35.

Differentia inter eas.

Cæterum relicto ad extrema cõcionis D. Petro Iudam intueamur, & quæ sparsim de illo in scriptura dicuntur in vnum colligentes, videamus tum quibus gradibus ad tam atrox facinus patrandum peruenerit: tum quomodo omnia remedia animarum peritissimi respuerit: tum quam pœnam meruerit. Hæc de Iuda Iscariote. Considerabimus præterea; tum an imitatores etiam nunc habeat: tum remedia his qui cõverti volunt. Sint hæc Christi Iesu tam efficacia ut te authore, Iudam nullus, Petri vero multi in tam numeroso populo asseclæ reperiantur.

PROP. Bipartita.

IUDAS SIMONIS ISCARIOTES, sic à nostro D. Ioanne nominatus est, tum ut

I. PARS Iudas.

omni-

omnibus constaret quisnam fuerit: tum ad differentiam alterius Iudæ Apostoli qui à Matthæo quidem & Marco, *Thaddæus*, à Luca vero *Iudas Iacobi* nominatur. Porro Iudam Iscarioten bonum piumque fuisse cum ad Apostolatus dignitatem prouheretur, grauium & sanctorum tam Græcorum quã Latinorum Patrum est sententia. Cui nec D. Augustinus refragatur prout diligens lector animaduertere poterit. Id vero conforme etiam est scripturæ. Nam si ad secularem principatum qui ad regenda tantum corpora, & tuendas facultates Iudæorum destinatus fuit, ille à Deo cõstitutus erat rex & rēctor, de quo scriptura ait, *Saul electus & bonus, & non erat vir de filiis Israel melior illo: quanto magis illum qui principatum ad cõuertendas animas totius orbis gerere debuit bonum & sanctum eligi decuit? Christus vero Deus non nisi quæ decent facit semper.* Quemadmodum ergo Saul Dei benignitate, & fuit, & electus est in regē bonus, sua vero nequitia postea factus est malus: ita Iudas bonus ad Apostolatam à Christo vocatus est: voluntate tamen propria & libero suo arbitrio postmodum factus est nequam. Quando? Volunt quidam tunc cum dispensandarum pecuniarum illi cura commissã fuit. At hoc incertum; illud certissimum: quicquid hac in parte factũ est culpa ipsius Iudæ

*Matt. 10. 3.
Marc. 3. 18.
Euc. 6. 15.
Bonus à
principio.*

*Hier. lib. 3.
cont. Pelag.
Cyr. lib. 4.
cap. 30.
Ab exem-
plo minori
Saul.*

1. Reg. 9. 2.

*Malus cul-
pa sua.*

Tertull.

uda factum esse. Sed audire mihi videor quosdam de factis Christi murmurantes quibus in secunda parte satisfaciam, nunc cœpta prosequamur.

Itaque IVDAS ISCARIOTES bene cœpit, *Potuit ex*
 sed pessimè finiuit à minoribus ad maiora *sepeccare.*
 prolapsus crimina. Quo auctore? DIABO-
 LVs quidem hic nominatur. At vero non
 statim illum ad hunc qui in themate descri-
 bitur iniquitatis gradum deuenisse creden-
 dum est. Nam vt S. Patres docent non sem-
 per tentationes proueniunt à Sathana, sed
 ortum aliquando habent à propria concu-
 piscencia; Quid, nonne id D. Iacobus Apo-
 stolus disertis verbis testatur iniquis? *V*
nusquisque vero tentatur à concupiscencia sua
abstractus & illectus. Deinde concupiscencia
cum cœeperit, parit peccatū, peccatum vero cum
consummatū fuerit generat mortē. Id vero non
tantum de peccato opere exterius perpetrato,
sed etiam de illo quod per consensum
voluntatis sola mente perficitur intelligen-
dum est. Nam teste Christo, qui viderit mu-
lierem ad concupiscendum eam iam mechatus est
eam in corde suo. Hæc dixerim vt compri-
mam affectum illum haud rectum quo ple-
rumque imo ferè semper culpam nostram
in Sathanam conicere solemus, volentes
conscientiam nostrā quietam reddere quam
hac ratione vulueramus magis dum excusa-
 L I tiones

*Bas. Reg.**bre. 75.**Aug. de Eo.**cle. dog.**cap. 82.**Chrys. ebe.**Nam non**semper Sa-**than aucto-**peccati.**Iac. 1. 14.**Aliquando**concupiscē-**tia teste D.**Iac.**Mat. 5. 28.**Inde excu-**satio mul-**torum no-**ctua.**NOTA.*

tiones de peccatis sæpe falsas, semper autem ineptas, & Deo odibiles conquirimus. An nō recordamini nihil ista primis nostris parentibus profuisse? imo obsuerunt, & nobis obsunt plurimum. Abstinentum igitur est à talibus, & sincere culpa cōfitenda primum apud Deum deinde coram Sacerdote Vicario Dei.

Itaq, Judas Porro hac ratione Iudam in ista sua tentatione, & scelere sese gessisse suadent tum ea quæ ex D. Iacobo, & S. Patribus recensuimus, tum varij modi loquendi qui de Iuda in scriptura proponuntur. Primo enim dicitur, *quia fur erat*, quod D. Ioannes de illo testatur. Et hic fuit totius huius mali fons & origo. *Concupiscentia oculorum*, inquam, *oculorum*, qua laborabat, & qua *abstractus & illectus*, ex iis quæ in loculos Christi quos portabat ex eleemosynis mittebantur aliquid clam furrupiebat. Quod haud obscure docet D. Ioan. qui cū introduxisset Iudā precioso vnguento à Maria in pedes, & caput Iesu effuso murmurantē & dicentem. *Quare hoc vnguentū non venit trecētis denariis, & datum est egenis?* Subdit. *Dixit aut hoc non quia de egenis pertinebat ad eū, sed quia fur erat, & loculos habens ea quæ mittebantur portabat.* Propterea si vnguentū illud venditū fuisset aliquid ad suū emolumentum redundaturū sperabat. Qua spe cum se frustratū animaduertit et tulit ægerrimè. Illum igitur pessimū avaritiæ

Ioan. 12. 6.

1. Concupiscentia oculorum laborat.

1. Ioa. 2. 16.

Iac. 1. 14.

2. Fingit & mentitur.

Ioan. 12. 6.

3. Fur erat.

*Fiac fauet
n 60 Satkē.*

avaritiæ affectum intuens Sathan in Iuda nutrire illū, & augere in eo nunquam desistit. Quanam ratione? Consuetas, sitim videlicet illam & excitando, & fouendo quā olim descripserat poëta dicens [Crescit amor nūmi quantum ipsa pecunia crescit] Proinde cum ad ardorem illum extinguendam non sufficeret Iudæ paucula illa quā ex oculis Christi furabatur pecuniola; nefas à sæculo inauditum suggerit ei Sathan. Adesse nimirū principes Sacerdotum, qui proposito bono prociō perquirerēt, qui illis Iesum traderet. Hoc sapius phantasię Iudę ingerit: monet, vrget, suadet, tum Iudæorū demerendam esse gratiam: tum occasionem augendi peculij non esse omittendam. Exhorrescere vt reor Iudas ad tantum facinus primū cœpit: deinde vero cogitare se prodicione sua nihil mali Iesu illaturū quem ex manibus Iudæorum sicut & alias euasurum certo sibi pollicebatur. Tandem amore lucri illius in Iuda excrescente manus dedit consensumq; ad patrandum tantū scelus præbuit Diabolo. Et hoc ipsum est quod in themate dicitur.

CUM DIABOLVS IAM IMMISISSET. Quibus verbis duo edocemur, alterum dæmonem veram necis Christi causam extitisse, Idcirco etiā ius quod habuit in homines amisisse: alterum quod dixi. Non solum enim immisit Sathan.

*Modo com-
sueto.
Iuuen.*

*Suadet ne-
fas prod-
itionis.*

*Cogitat
Iudas.
Tandemq;*

*4. Decreuit
trahere
Christum.*

*Dæmon
Christi im-
misor.*

IN COR, quod & antea per suggestio-
nem non semel fecerat, sed etiam consen-
sum obtinuit.

VT TRADERET EVM. Id est tradere
iam omnino decerneret Iesum præcepto-
rem suum.

IUDAS SIMONIS ISCARIOTES.
Cuius hic quartus impietatis gradus fuit. Pri-
mus enim erat consensus in concupiscenti-
am oculorum & furti desiderium. Secun-
dus fictio & mendacium quæ talibus sunt
familiarissima. Tertius ipsum furtum. Quar-
tus iste nempe firmum propositum traden-
di Iesum.

Ioan. 13. 27

3. Gradus
impietatis
Iudæ cum
occupatur a
Diabolo,
occurrit
obiec-
tioni.

NOTA.

Et post buccellam post intinctum
videlicet panem quem Iudæ Christus por-
rexit tunc Introiuit in eum Sathanas. Non
quidem corpus ut in energumenis solet: sed
animam Iudæ occupando. Dices. tamen &
antea iam illam possederat. Ita sanè, fecerat
id etiam in tribus prioribus gradibus nihilo-
minus in postremis istis additum fuisse quid-
piam dubitandum non est. Non enim sine
causa idem Euangelista in eodem capite tam
emphaticè hæc de re loquitur. Quid vero i-
stud additamenti fuerit inuestigare & expli-
care multum laborat Patres. Breuiter in pri-
mis illis gradibus ita Sathan occupauerat a-
nimam Iudæ sicut occupare solet omnes in
peccato mortifero constitutos. In penulti-
mo

mo additum est aliquid quando Iudæ tam immane nefas persuasit forte extrema ut dicitur habituatio in peccato avaritiæ. In postremo denique plene iam ut hic dicitur *introiit in eum Sathan.* possidens animam eius perfectè. Quod tribus de causis dici reor. Primo quia postquam audiuit Sathan verba illa Christi ad Iudam. *Quod facis fac citius,* quibus licentia ei dabatur patrâdi quod vellet, statim ad opus perficiendum expulit illum. Deinde propter obsurdescentiam, excecationem, & indurationem, in quæ tum temporis demum Iudas inciderat. Indeque postremo propter obfirmationem in malo. Cuius rei è contrario dat exemplum D. Augusti. aliorum Apostolorum, sicut enim illi quamuis viuente Christo in hoc mortali corpore essent in gratia Dei, ideoque haberent Spiritum sanctum: tamen post resurrectionem dicuntur accepisse Spiritum sanctum; quia plenius de illo participarunt: ita hic è contrario factum est, quando Sathan in Iuda firmissimum suum posuit præsidium iusto suo iudicio id permittente Christo Iesu, propter ingratum Iudæ ingratiudinem, quæ tot media quæ illi offerebantur penitus repudiavit, & obduratè reiecit.

*Tres cause
huius dicti.*

Ibid.

*Aug. lib. 3.
de Conser.
Euang. c. 16*

*Christi iu-
stus iudi-
cium.*

Quid enim potuit pietissimus Pater
Christus Iesus amplius facere quod non fe-
cit, ut scelestum istum hominem à tam ne-

Ll 3

fario

REME-
DIA A
CHRI-
STO IV-
DÆ AD-
HIBITA.

fario reuocaret crimine? Diximus hac de resparlim alias non pauca, quæ nunc in ordinem sunt reducenda, neque vero omnia percensenda, sed illa tantum quæ in scriptura habentur, præter quæ Christum Dominum priuatim ac singillatim multis cum Iuda egisse nemo pius dubitauerit. Quomodo enim Christus quod alios docuit dicens, *corripe illum inter te & ipsum solum*, ipse id facere neglexisset? Verum è publicis illud inprimis occurrit dictum multo ante à Christo prolatum. *Nonne ego duodecim vos elegi, & ex vobis vnus diabolus est?* quo mirando modo tum reducit illis in memoriam vocationem ad Apostolatam maximum sanè beneficium; tum cor Iudæ tangit vt is videns artes suas Christo notas esse ad se redeat & resipiscat; tum prædicit quo ipsius proteruia esset peruentura, vt diabolo esset simillimus, eiusque nomine insigniendus: tum alios Apostolos terret; tum denique occultum peccatum aliis incognitum cælat: quod & postmodum vsque ad egressum Iudæ è cenaculo semper fecit. Quot argumenta sapientiæ à sapientia patris paucis in verbis sapientissime demonstrata? Omnia excutere nec volo nec debeo. Duo huic loco propria noto. Alterum tres ðctos quibus cor Iudæ ad resipiscēciam impellit quos iam recensui, Alterum quomodo Christus

Apo-

1. *Primata
admonitio.*

Mat. 18. 15.

Ioa. 6. 70.
2. *Beneficiorum
cõmemoratio.*3. *ðctus cor-
dis.*4. *Prædi-
ctio.*Nobis hinc
doctrina.

Apostolos multoq; magis nos in illis timore in officio continet, simulque docet quomodo in manifestandis aliorum criminibus occultis nos gerere debeamus. Qua de re in alia concione agemus. Hic ad illud quod quidam quærent cur à Christo Iudas *diabolus* hic nominetur, cum tunc necdum cogitaret de eius proditione. respondeo. potuisse propter solum furtum sic vocari. Quicumque enim, per quoduis peccatum læthale diabolo se mancipavit, per agnominacionem rectè diabolus dici potest. Multo tamen magis idem verbum Iudæ hodie competebat tum ob imitationem: tum quod Minister esset & adiutor diaboli, per quem ille Christum occidere moliebatur.

*Cur Iudas
diabolus
vocetur.*

Hæc olim Christus cum Iuda, Hodie vero quid? Omnia omnino ad conuersionem ipsius apta, media & remedia deprompsisse mihi videtur. Primum in illis verbis; **E T V O S M V N D I E S T I S S E D N O N O M N E S** habetur. Quibus quid aliud agit **I E S V S** quam detegit peccatum & immunditiam Iudæ ipsi Iudæ, vt ille illud & agnoscere, & deslere velit. Sed quia frustra id fieri videt, venit ad beneficium lauatque **I E S V S** pedes nefarij proditoris. Hoc factum sicut Petrum in stuporem vertit, ita ad emolliendam & lique-

s. Confessio.

*6. Pedum
Iuda ablu-
it.*

faciendam mentis duritiem potentissimum sanè fuit medium. Quod enim cor etiam inimici ad tantam humilitatem non flecteretur? quanto magis ergo cor famuli, cor discipuli, cor Apostoli commoueri ad pœnitentiam debuit? Adiungit insuper Christus scripturæ testimonium, *Qui manducat mecum panem leuabit contra me calcaneum suum*, inquit Christus ex Dauide apud quem paulo aliter legitur, sed sensus est idem; imo vnus alium explicat. Verba Psal. sunt, *Qui edebat panes meos magnificauit super me supplantationem*. Supplantatio enim dicitur proprie cum quis calcaneo, vel pede interposito aliū fraudulenter prostermit in terram. Quod suo modo Iudas Christo facere parabat. Iesu id nec ignorante nec apud Iudam calante, vt ipse quoque scelus suum prodere in animum induceret suum. At non potuit inquis id facere alias falsus fuisset vates David. Imo potuit. Non enim ideo id prædictum fuit vt mutari nequiret, sed è contrario quia vidit Propheta propter Iudæ obstinationē id minimè mutatum iri ideo quod futurum erat prophetauit.

Quid præterea Christus Dominus? venit ad omnium maximum (quod nec ab ipsis Cherubinis & Seraphinis excogitari potuit) remedium facitque Iudam participem corporis & sanguinis sui preciosissimi imo Sacerdotem

7. Scriptura testimonium
Ioan. 13. 18

Psal. 40. 10.

2. Eucharistia & Sacerdotium.

cerdotem & Episcopum illum creat teste D.
 Petro qui illud Dauidicum, & Episcopatum
 eius accipiat alter, de Iuda ait intelligi. O cor
 induratum quod tam forti arieti non cessit.
 Fugite dilectissimi pertinaciam, ne similia
 vos apprehendant. Beneficiis igitur frustra
 collatis venitur ad terrores. Et primum qui-
 dem quod bis occultè insinauerat Christus
 iam clarè Apostolis magna cum emphasi
 denuntiat nempe esse inter illos proditorè.
 De quo sic noster Ioan. *Cum hæc dixisset Ie-
 sus turbatus est spiritu & protestatus est, & di-
 xit, Amen amen dico vobis, quia vnus ex vobis
 tradet me.* Quanta vis affectus & verborum,
 quibus percussit cæteri discipuli præter Iudã
 propter quem maximè dicebantur, vehe-
 menter & contristari, & tam inter se quam à
 Christo inquirere cœperunt, quisnam esset
 eiusmodi. Et vero non neglexit Saluator,
 cum signis, tum verbis ipsis Iudæ manifesta-
 re illum ipsum id machinari. Signa duo dat.
 Vnum, cum inquit, *Qui inringit mecũ manum
 in paropside hic me tradet.* Quod vtique Iu-
 dam non latuit, licet cæteri, neque id, neque
 alia animaduernerint. Alterum Signum fuit
 panis intinctus quem porrexit Iesus Iudæ
 verbis vero expressis idem contestatus est.
 Nam cũ Iudas interrogasset, *nunquid ego sum
 Rabbi? Ait illi Iesus, Tu dixisti.* Quod apud
 Hebræos est, ac si dicas: Ita est,

*Act. 1. 20.
 Psal. 108. 8.*

*p. Clavier
 denũtiatio.
 10. 13. 21.*

*10. Expres-
 sa declara-
 tio.*

*Tum signis
 Mat. 26. 23*

Ioan. 13. 26

*Tum Ver-
 bis.
 Mat. 26. 25*

*17. Minae
terribilissi-
ma.*

Cæterum cum ne ista quidem sufficerent
vt proditor se proderet ac veniam à benignis-
simo Iesu peteret, & obtineret, venit
ad minas terribilissimas, & tales quales ne-
scio, an vnquam ab orbe condito audita:

Mat. 26. 24

*fuerint. Vt homini illi per quem filius hominis
tradetur. Bonum erat ei si natus non fuisset ho-
mo ille, inquit Iesus de Iuda, & ad Iudam pri-
mario, dein ad Iudæ similes. Quem tanta
machina non prostrauisset si mens non
obsurduisset, & malitia ac cupiditate excæ-
cata ac indurata non fuisset? Quare ultimo
remedio ad locum in quo tradendus erat
relicto, vbi & osculari se passus est à Iuda,
& amanter dixit ei. Amice ad quid venisti:
Et iterum: Iuda osculo filium hominis tradis?*

*12. Oscu-
lum, &c.*

Mat. 26. 50

Luc. 22. 48

*Quibus omnibus quæ beneuolentiâ erga
inimicum maior excogitari potuit? Ve-
rum his ad hortum referuatis, ad vltimum
quod in ea quam hodie recolimus cœna
cum Iuda actum fuit veniamus. Istud ve-
ro Ioan. his describit verbis. Cum intinxisset
panem dedit Iudæ Simonis Iscariotæ. Et post
buccellam tunc introiuit in eum Sathanas. Et di-
xi ei Iesus. Quod facis fac citius: eo quæ
facto Ioanni eum manifestat, si forte hac
ratione Iudas conuerti vellet. Porro cur
intinctum panem dederit ei rationem assi-
gnant sancti Patres, vt videlicet ad vn-
guem eo ipso die impleteretur illud quod
inquit*

Ioan. 13. 26

*13. Mani-
festatio lo-
quæ facta.*

inquit

inquit David. *Qui edebat panes meos magnificavit super me supplantationem.* Quomodo autem intravit in eum Sachanasiæ explicuimus.

Psal 40. 10. Dicit quod facis fac citius quatuor causa.

Restant illa verba; *Quod facis fac citius.* Quæ non sunt præcipientis sed prædicentis, permittentis, declarantis, expellentis. Hæc verborum istorum sunt quatuor rationes. Etenim primo prædicit quod paulo post fieri debuit. Postea permittit ut fiat, quod si non permisisset factum non fuisset. Declarat præterea duo: tum omnia sibi nota fuisse, tum se mortem non timere, quam præcipuam dicti huius causam esse autumo. Modus enim ipse loquendi (qui immerito quosdam offendit) magnanimorum est quo uti solent quando aliquid terrificum eis imminet, præsertim mors quæ omnium terribilium est terribilissima. Eiusmodi phrasis est illa *Zebeæ & Salmana principum Madian ad Gedeonem, Tu surge, & irruere in nos, id est occide nos quod & factum est.* Item illa generosa *Ionæ Prophetæ ad nautas, Tollite me, & mittite in mare.* In historiis vero martyrum novi Testamenti innumera sunt talia. Quibus princeps, sator, alitor, & parens omnium martyrum **CHRISTVS IESVS**, ecce verbis istis exemplum dedit præclarissimum. *Quod facis,*

NOTA.
1. Prædictio
2. Permissio
3. Declaratio animositas.

Iud. 8. 21.

Ionæ 1. 12.

cis, inquit Iuda, *fac citius*, non contradico, non abnuo, non perhorresco. At exhorruit in horto! Quia ita voluit in bonū omnium martyrum. Qua de re cras Deo dante dicemus. Denique iisdem verbis expulit Iudam à suo suorumque consortio. Idcirco additur. *Cum ergo accepisset ille buccellam exiit continuo*; tum quia sic voluit Iesus: tum ut sibi consuleret, quia vidit se iam Ioanni innotuisse. Hæc igitur fuerunt remedia (& multo plura quæ ignoramus) quæ ad sanandam hanc ouem morbidam adhibuit Christus Iesus: Sed in cassum abiuere omnia.

4. *Expulsio.*

Ioan. 13. 30.

POENA.

Ad pœnas igitur pro tã atroci ingratitude venit quas tribus verbis perstringo, tũ quod non omnes nobis notæ tum quod inexplicabiles sint. Prima fuit illa quando Iudas traditus est Sathanæ haud exigua, vt ipsi iudicare potestis. Modus partim à nobis est explicatus partim nobis incognitus. Secunda est ista de qua iam iam egimus è consortio bonorum expulsio. Maior sanè calamitas quam æstimatur ab ijs qui maximè illam pertimescere deberent, quorum pro dolor ingens nunc est inter Christianos numerus. Magnitudo autem eius à simili patet. Sicut enim quando vnum pecus ex gregis medio eijcitur, quid aliud quam rapacium bestiarum esca efficitur? ita cum quis ex piorum consortio exturbatur, præda fit luporum inferna-

3. *Traditio Sathanæ.*

2. *Expulsio.*

Gravitas
eius.
à simili.

ferna-

fernalium, qui illum pro libitu suo tractant. Nūquid id in hoc scelesto homine Iuda inquam luce meridiana nō est clarius? Is enim nocte eadē in desperationis barathrum impellitur quod certē in magnis pœnis censendum est. Nec id satis. Nam ne degustata quidē lucri illius q̄ tantoperē concupierat dulcedine, imo tota reiecta pecunia abiit & laqueo se suspendens crepuit medius & diffusa sunt omnia viscera eius. Hæc tanto sceleri debebatur pœna iustissima. Verum nō hæc solum. Ista enim initium dedit aliarum longē intolerabilium quas à mille & sexcentis annis patitur in inferno inferiori, sustinebitque sine fine in æternum homo sceleratissimus ut dictum illud Christi Iesu impleatur, *Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.*

Quid hæc audientes cogitatis dilectissimi mi? Nonne timor & tremor veniunt super vos? nonne horrescitis ne quid vobis simile eueniat? Nihil inquitis tale. Tanto peius. Eo enim malum est crudelius quo ipsam etiam medicinam respuit. At quid timeam? Nunquid ego Christum prodidi? Num iam illum neci tradere possum de quo Paulus. *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur mors illi ultra non dominabitur?* Quid si euicero reperiri inter Christianos qui peius estiam quam Iudas Iesum tractant? Nec multatis

3. Desperatio.

4. Suspendium, &c.

Act. 1. 18.

6. Supplicia æterna.

Mat. 26. 24.

II. PARS.

Iude imitator.

Rom. 6. 9.

Esse quosdam.

Heb. 6. 4.

*Patet ex
D. Paulo.*

tis opus est. Repeto dictum alias. Idem enim quem citasti Apostolus disertis testatur verbis, illos, qui semel sunt illuminati (quod fit per Sacramentum Baptismi) gustauerunt etiam donum caeleste & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum virtutemque venturi seculi & prolapsi sunt, in peccatum videlicet aliquod mortiferum. Eos inquam qui huiusmodi sunt, esse etiam, rursus crucifigentes sibi-

*Imo Iuda
peiores.*

metipsis filium Dei, & ostentui habentes. Hæc verba D. Pauli sunt, quæ recogita quæso in mente tua, & diudica quidnam sit peius: An tradere Iesum quod fecit Iudas; an vero crucifigere & ostentui habere eundem Iesum, quod tu facis, nec vno tantum aut altero, sed centenis & millenis peccatis læthalibus.

*Fortè etiã
excacatio-
nes.*

Sed ego inquis non sum excacatus & obstinatus sicut fuit Iudas? Id vero vnde nosti? O quam vereor ne sint inter Christianos plurimi ipso etiam Iuda obstinatiores. Quot enim sunt, qui tot imo etiam plura media ac incitamenta ad conuersionem habuerunt quot habuit Iudas? & tamen sicut

Ioel. 1. 17.

iumenta in stercore (vt propheta phrasi vtar) ita isti in peccatis computruerunt suo. O vtiã nullus vestrum ex illorũ reperiatur numero?

*In omni pec-
catorum
genere.*

Singillatim nouit eos qui sol^o scrutatur corda & renes Deus, ac vniuersim loquedo puto nullum esse peccatorũ mortalium genus, in

in quo aliqui Iudæ per similes non inueniantur. Sicut .n. Iudam auaritia ita alium quidē eadem modis variis, aliū luxuria, alium appetitus honoris inordinatus, alium inimicū vlciscendi cupido, alios alia his similia dementarunt, excæcarunt, indurarunt.

Demus iuxta modum nobis consuetū aliquot exempla ac ea tantum quæ tum Euāgelio tum dictis sunt consona. Prodeant itaque primi in medium quos huc reuicimus. Illi inquā qui hæc q̄ à principio diximus audientes non solum curiosè scrutari, sed etiā impiè carpere diuina non verentur consilia. Quorum illæ inter alias sunt voces. Cedo, cur Christus Iudam quem proditorem futurum nouerat, Apostolotū suorum collegis aggregare voluit? Cur præterea eidem, quē ad auaritiā & furta propensum animum gerere sciebat, loculos, quibus ad id magis magisq; irritaretur concedere voluit? Hæc isti occasione accepta ex Euāgelio; ad quæ cum non reperiuntur qui illis respondeant, Deus meus ad quas nō delabuntur de prouidentia diuina inquisitiones? Retulimus ante decē circiter dies quæ de prædestinatione & reprobatione garrunt. Audiuius & alia tam varia de rebus omnibus tam inepta, tam ardēter prolata, vt ingemiscētes obstupesceremus mirantes Catholicis talia, tū in mentem venire posse: tum reprimi non posse. Dicam quid

Capita illorum aliorum.

PRIMUM.
Consilia
Desproca-
cter scruta-
tantium.

Exempla.

1. Ex Euā-
gelio.
2. De eodem
Iud.

3. De repro-
batione.

4. Innume-
ra continet.

Comincetur per instantiam à simili eorummet iudicio.

NOTA.

2. A maiori.

quid vni illorum respōderim (& subiungam alia) sit inquam tibi lixa vel agaso quispiam vilissimus & insipientissimus in famulatu, qui omnia dicta facta ac consilia tua, etiam grauissima, etiam ad Rempubl. pertinentia, etiam secretissima non solum nosse; sed etiā de iis iudicare, denique omnia arbitratu suo fieri vellet: nīque id faceres obgāniret, fame tuæ detraheret, omnia tua carperet, turbaq; cieret. Quomodo quāso cum tali te geres? Quī eum ferres? Nonne acerbissimè? Nonne hominem tum procacem quia omnia tua rimari & scrutari, tum stultissimum, qui etiam de illis quæ ne intelligere quidem quiret dare iudicium vellet: si corrigere non posses, è domo tua exturbares, vel carceri mancipares? Vide igitur ne idem tibi faciat Deus eiiciendo te vna cum Iuda è consortio Sanctorum, & allegando ad mansiones Cæcodæmonis infernalis vt ibi superbiz, procacitatis, & insipientiæ tuæ pœnas in æternū luas. Nonne multo iustiori iure Deus quam tu seruo tuo id præstaret tibi? Ita sanè modis innumeris. Nam inter te & famulum tuū est aliqua conuenientia adeo vt si ingenium & iudicium illius augetur longo interuallo te in omnibus superare posset: at vero inter te & Deum nulla penitus est proportio; nihilominus tam es tu impudens vt de iudicio Dei audeas iudicare, nempe cur hunc diuitem

uitem te pauperem, istum bellicosum alium
 imbellem & Sexcenta talia effecerit ? Caue
 caue ne dicatur tibi illud saluatoris ad tui si-
 milem murmuratorem. *An non licet mihi*
quod volo facere ? an oculus tuus nequam est
quia ego bonus sum ?

*3. Scriptura
 74.
 Matt. 20.
 13.*

Ad obiecta de Iudaismo & ad cætera si-
 milia securissima, efficacissima, & practican-
 da responsio est quam nos docuit D. Pau-
 lus dicens: *Quis enim cognouit sensum domini ?*
Aut quis consiliarius eius fuit ? Aut quis prior
dedit illi & retribuetur ei ? Proinde præter ea

*Responsum
 ad obiecta
 Ro. 11. 34.
 Vniuersum
 ex D. Paul.*

quæ ipse Deus siue per lumen naturæ, siue
 per reuelationem nobis manifestauit, igno-
 ta nobis esse ingenue & sentire & fateri de-
 bemus. Si enim nemo asseuerauerit se sen-
 sum & consilia omnium hominum nosse
 quanto minus dicere quis poterit se affecu-
 turum consilia Dei nisi plusquam Luciferi-
 ana tumeat superbia! similiter si nemo quic-
 quam dedit illi (Qui enim daret qui nec-
 dum fuit) cur conqueritur, si tantum &
 non plus datum est ei ? Itaq; & serio & opti-
 me monent SS. Patres ut à talium inuesti-
 gatione omnino abstineamus: Illud nobis
 certo persuadentes, Deum neq; Luciferum
 ideo creasse ut superbiret, neq; Adamum ut
 peccaret, neq; quenquam, siue hominum,
 siue Angelorum idcirco condidisse ut dam-
 narentur, neq; deniq; Iudam propterea uo-
 casse

*Et à simili
 minori.*

*D. Hæc. lib.
 contra Pe-
 lag. Cyr. li.
 9. cap. 10.
 Monitum
 SS. Patriæ
 NOTA.*

Mm

casse

caste ad Apostolatum ut Christum proderet. Sed fecit & creauit omnia Deus ex bonitate sua optimo fine.

Vide D.

*Aug. lib. 11.
de her. ad li.
se. cap. 26.
In particu-
lari de Iu-
da respon-
detur.*

*Dei sapien-
tia.*

*Stultitia
hæreticorū.
Vide Epiph
hæres. 36.*

*Ad oculos
Iuda du-
plex solutio
Chry. ho.
64 in
Matt.*

Quod si quemadmodum Lucifer per libertatē arbitrij sui ex Angelo fecit seipsum diabolum ita Iudas voluntate propria ex Apostolo furem & proditorem se constituit, quid accusatur Deus qui non solum id fieri noluit sed etiam vetuit, & abstrahere ac abstergere à peccato uoluit, & postquam factū est malum in optimum finem, proditorem ad salutem generis humani, direxit, conuertit & ad executionem deduxit. Vides quantum bonum ex tanto malo? Demirari itaq; & approbare nō autem curiosè inuestigare aut nequiter carpere discas diuina consilia. Neq; vero idcirco bene fecit Iudas tradendo Christum ut quidam inepti olim dicebant hæretici, quorum nunc sunt imitatores qui Lutherum Saluum fieri uolunt, eo quod multa bona in Ecclesia Christi ex occasione ipsius hæresis sint subsecuta. Stultissimum utrumq; Quicquid enim boni utriusq; euenit à Deo ortum habuit, quicquid mali, ab ipsis Iuda, Luthero, & alijs huius farinae uiris emanauit. Proinde isti peccata, ille laude æterna est dignissimus. Porro de oculis contrarium potius & melius concludunt Patres. Nempe ideo Iudæ datos fuisse, ut haberet unde suam sedaret cupidinem nec plura appeteret: Quod si ipse malitia

lita sua medicinam in uenenum conuertit sibi imputet. Adiungit D. Hier. Deum in talibus distribuendis non futuram sed presentem plerumq; intueri iustitiam, idcirco sicut Sauli bono regnum; ita Iudæ iusto Apostolatam bene bonus contulit.

Alterum hominum genus huc spectans est pseudopoliticorum, qui non solum tum in factionibus contra superiores, tum in ingratitude contra Magistros & instructores suos, tum in obsurdescencia ad audienda aut percipienda quæ ad salutem eorum pertinent, tum in induratione qua callo obducto nullis etiam humilitatis officiis mouentur, tum in fictionibus ac mendaciis Iudam imitantur: sed insuper eo deuenerunt dementia, ut & sanctissima religione Catholica & ipsis Sacramentis (horrendum dictu) ad assequendum illum quem præterdunt finem abuti non vereantur. Tanto ipso etiam Iuda Iscariote infeliciores quanto melius quam Iudas norunt, quis in sanctissimo Eucharistia sacramento contineatur. Iudas enim in ipsis institutionum huius sacramenti initiis id forte ignorauit, quod isti bene sciunt, & scientes, optimo pessime abutuntur, ideoq; *potentes potenter tormenta patientur.* Non enim fuit illis satis contra omne ius & æquitatem statum Ecclesiasticum ciuili (id est animam corpori) submittere, subdunt & ipsa sacramenta ipsumq;

*SECUN-
DVM ge-
nus pseudo-
politicorū.*

*Qui imi-
tantur Iu-
dam sex
modis.*

*Postremo
horrificus
in abusu
Eucharistia.*

Sap. 6. 7.

*Macchia.
in Principe
cap. 18.
Origo à do-
ctoribus eo-
rum Exem-
plum stupē-
dum,*

*Finis notus
Deo & ho-
minibus.
Quo*

*Et fallun-
tur.
Et fallunt
callidissime*

Christum qui in Sacramento Eucharistiæ
continetur fini politico. Prò nefas Chri-
stianis olim in auditum quo vix maius ul-
lum. Rem ita se habere tum regulæ à præ-
ceptoribus eorum traditæ tum facta typis
mandata testantur. Quid horribilius quam
cum animo patrandi homicidij eadem die
ad sacram synaxim accedere, ut res fieret oc-
cultior? sicut factum legimus & obstupui-
mus, eos qui non modo Christianos sed et-
iam Catholicos se profitentur, ad tantam
excæcationem pervenire potuisse? Quid
dicam de sine bono quo se isti plerunq; ex-
cusant? Hunc is cuius sacramento in quo
ipsemet est abutitur & novit & severe indi-
cabit: sed nec homines latet, Ex medijs. n.
q̄ adhibetur facile scopus percipitur, multo
magis vero ex euentu. At isti & fallunt &
falluntur. Fallunt cum optimum ducunt
quod pessimum est: tum in termino, tum
in via. Fallunt dum sicut Iudas avaritiam
elegmofynæ; ita isti nequissima vitia virtu-
tum insigniunt nominibus, quibus artibus
ad plebem decipiendam nihil excogitari
potest funestius. Pluribus rem prosequi a-
nimus non est: tum quod putem ad tan-
tum crimen exaggerandum nullas orato-
rum linguas sufficere, quanto minus me-
am? tum quod occultiora hæc & rariora ef-
se videantur. Atq; utinam sint nulla, sed
proh

proh dolor augeri in dies & vires fumere
conspiciuntur, etiam ibi ubi propter genti
innatam sinceritatē minimē deberent. Pro-
inde hæc saltim dicenda erant.

Postremò addendum est nobis aliquid de
nostris obstinatis, de ijs inquam qui necdū
ad hanc vsque horam peccatorum maculas
Sacramento pœnitentiæ eluerunt: qui Iudæ
adinftar, neque minis quās in tot concioni-
bus fulminatas audiuerunt, vel certè audire
debuerunt, neque innumeris quæ in seipsis
experiuntur Christi beneficijs, neque tot
sociorum suorum exemplis, neque matris
Ecclesiæ iusto dolore & comminatione per-
moueri possunt, vt ad cor redeant suum.
Quæ huius rei causa? Non alia certè quam
aut hæc ipsa Iudæ, aut ei persimilis. Hæc ipsa
est in vsurarijs, furibus, rapacibus & alijs qui
quod iniustè acquisuere etiam si possint re-
stituere nolunt. Sed & illi qui nescio quid de
misericordia Dei sibi pollicentes (vt Iudas
de Christi liberatione) in peccatis manent.
Paricum Iuda passu currunt: Persimiles ve-
ro illi sunt qui licet ex dissimili causa, eun-
dem tamen cum eo impœnitendi animum
gerunt. Eiusmodi sunt qui œ aut fomentū
libidinis quod domi alunt eijcere, aut ran-
corem ac vindictæ cupiditatem qua ardent
deponere cogantur, ad confessionem acce-
dere & Christo, ecclesiæ, fratrique suore-

Mm 3 con-

*TERTI.
VM Necdū
pœnitentiæ.*

*Ob causam
Iudæ.*

*Aut ei per-
similem.*

*Patet ex
scrip.*

1. Ioa. 2. 15.

*Communa-
tio.*

*REME-
DIA.*

*1. Peculiare
proscruta-
toribus.*

concordari nolunt. Sicut enim Iudæ COR
DIABOLVS per concupiscentiam oculorum
ita istorum siue per concupiscentiam car-
nis, siue per superbiam vitæ. (ad quæ tria ca-
pita omnia peccata reducit D. Ioannes) oc-
cupata, ligata, excæcata & indurata corda
tenet, adeo vt nec monita salutaria audire,
nec ad Sacramenta percipienda præparare se
velint. Qui omnes timeant valde ne sicut
Iudas ita etiam ipsi tradantur Sathanæ & den-
tur in sensum reprobum.

Dicet istorum quispiam. Quid ad despe-
rationem cum Iuda nos impellis? Quid
nonne paulo ante inuictus es in illos qui sa-
cramento Eucharistiæ abutuntur; nunc ve-
ro idem me vis facere? Absit à me vtrum-
que. Non abuti ô amice, sed rectè vti te Sa-
cramentis volo: non ad desperandum indu-
co, sed ne cum Iuda in desperationem pro-
labaris, consulo hortor, moneo. Propono
Iudam quo cum tu multa habes commu-
nia, vt te ab ipsius imitatione absterream.
Propono Petrum (quem huc reieci) vt ad
premissa ipsius vestigia te inducam. Pro-
posui in decursu orationis aliquot ad con-
uersionem media, addo nunc quædam alia.
Et peculiariter quidem iis qui nosse volunt
consilia Dei, & iudicare de omnibus operi-
bus eius, præter medium allatum ex D. Pau-
lo, sit hoc vt solerter inuestigēt vnde id mali
proue-

proueniat, & ad radicem securim apponant. Radix eius est amor iudicij proprii, quo inebriati primum quidem vnius, deinde plurium sociorum nostrorum, postea etiam amicorum, dominorū, & præceptorum, rursus principum & regum, tum Sacerdotū. Episcoporum, Pontificum deniq; cum in his bene exercitati fuerimus, eo demētix deuenimus, vt tum Sanctorum, tum ipsius Dei consilia nosse, & dicta factaq; omnium diiudicare imo proteruē. & impudēter corrigere nō vereamur. Ista sunt scala superbiæ infernalis. Quid remedij! Antiquum illud Principis obsta. Relinque censuras quæ ad te non pertinent, etiam sociorum & cōmilitonum teq; ipsum cōsidera, & humilia in omnibus. Sic. n. Deo bene iuuante nunquā ad tantam infantiam & impudētiā deuentes, vt etiam quæ supra captum sunt tuum nō sapere solum, sed etiam carpere præsumas aliquando.

Ex hypothesi ad thesim venio, & tam pro hoc, quā pro aliis vitiis generale do remedium, diligentē illam peccatorum (vt ita dicā) anatomiam cuius typum dedi tibi in peccatis Iudæ, nempe quomodo is à paruis principis ad supremum impietatis culmen peruenit. Itaq; id ipsum tu in tuis actionibus cōsidera sagaciter & animaduertes, tum originem malorum quæ in te pullulāt, tum quomodo pari cum Iuda ratione à minoribus,

Mm 4 tum

2. Generale
peccati aus
thema.

tum tentationibus, tum peccatis venialibus ad maiora & mortifera inſœlicem progreſſum feceris. Quare hic quoque ad radicem ſecurim applices rogo antequam vitium, in truncum, ramos, folia, fructusq; peſſimos excrescens ita obdureſcat, vt illud eradicari penè aut omnino ſit impoſſibile, prout in Iuda factum vides. Vides inquam (repeto iterum iterumq;) quomodo ex parua oculorum concupiſcentia turpiq; modici illius lucelli amore, ad tantam mentis excæcationem cordisq; deuenerit duritiem, vt illam ipſe filius Dei tot adhibitis machinis non valuerit perfringere. Tu igitur per viſcera miſericordiæ Dei, & ſalutem tuam te oro, obſecro, obteſtor, vt alieno periculo imo caſu funeſtiſſimo cautior factus, radicem peccati tui & inuenire & excindere ſtudeas. Neque vero id inuentu & cognitu eſt difficile. COR aſpice COR tuum diſcute, in id enim DIABOLVS primum ſuum ſpiculum figit ſemper, illudq; quantum poteſt, & quantum tu conceſſeris firmat, & confirmat in malo. Hoc in themate reſpectu Iudæ expreſſum habes. hoc docet experientia hoc denique ipſe filius Dei diſertis teſtatur verbis cum inquit. *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, &c.* Hæc tu credens vide quid iſtorum, vel ſimilium in
te

*Radix quo-
modo inue-
nienda.*

Mat. 15, 19.

te reperiatur. Et non vide solum, sed & agnosce, & præterita punire, futura vero præcauere satage.

Modum & rationem id faciendi nosti, identidem enim repetuntur, & temper inculcanda sunt, quia id ipsum facit scriptura tota. A timore igitur initium cape. Hoc te docet ipse filius Dei qui sicut alias ita hodie cum utroque istorum Apostolorum hac progreditur via. De Iuda iam audisti terribilissimum illud, *Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille*, hisque alia similia. De Petro habes in Euangelio. Quæ enim comminatio indeque timor maior incuti potuit homini pio qualis fuit Petrus, quæ incussus est verbis illis, *SI NON LAVERO TE NON HABEBIS PARTEM MECUM*? Nullus equidem. Priuatio enim visionis diuinæ qua hic Petrum terrebat Iesus omnium pœnarum est atrocissima. Ne ergo mireris cum prædicatores verbi Dei simile quid faciunt. Si enim Christus propter prohibitionem lotionis pedum, quæ cuiquam res leuis imo iusta videri potuisset, adeo fulminat, quid facere debet nuncius Iesu contra ingentia & grauissima cū diuino & naturali iure repugnãtia scelera? Nemo igitur succeseat cum talia audit, sed tum his, tum illis quæ de Iuda dicta sunt, tū aliis concussus contremiscat ut initio dato sapiëntiæ ulterius progredi queat.

Mm § Pro-

*3. Timor
Iudæ.*

*Hunc incu-
it Christus.*

Mat. 26. 24

Tum Iudæ.

Tum Petro.

*Libenter
igitur acce-
ptandus.*

*4. Erube-
scentia qua
duplex.*

*Bona Ende
Es qualis.*

*5. Pœniten-
tia.*

*Lue. 3. 8.
Quam exē-
plo Petri
peragas, o-
bedienter.*

Progredietur autē ad erubescētiā non nefandā, sed sanctā. Nefandā est cum quis pudore correptus, aut cælat aliquod peccatum lathale, aut omnia renuit confite-ri. Grande nefas quod & confessionem irritam facit, & sacrilegia in perceptione Sacramētorum multiplicat. Sanctum vero pudorem excitare in nobis poterit sedula cōsideratio quantoperē homines & nostrum quiuis abominari soleat scelestum Iudā Christi traditorem, ita ut quidam audito ipsius nomine spuant in terram. Pudeat igitur & pudeat vehementer te tam diu in Iudæ comitatu vixisse, eum imitando, & vestigia ipsius pedum calcando. Pudeat coram Deo & Angelis eius prætorum peccatorum. Pudeat & in posterum ei adiungi velle, hocq; sit frenum concupiscentiarum tuarum fortissimum. Quam enim excusationem habebis in conspectu altissimi, si quem adeo execratus es, sequi tamen voluisti?

Concludo (ne æquo sim protractior) solito & solido remedio Pœnitentiā inquam cum dignis eius fructibus quos dignissimus Christi præcursor diligentissimè nobis cōmendavit. Petrus vero præeundo docuit. Cum in hodierno Euangelio quando audito verbo Christi statim illum sui dicti pœnituit illicoque obediuit. Ita tu obedi Christo & Ecclesiæ, & age pœnitentiā: tum vero

vero in illo terribiliori & scædo lapsu, qui eadem nocte ei contigit, quando ter Christum turpiter negavit. Scribitur enim quod postquam *conuersus Dominus respexit Petrum,* *Luc. 22. 62.* ipse cõfessim tum prædictionis Iesu memor tum peccati sui sibi conscius, *egressus foras fleuit amare.* Tu igitur non Iudam nequam, sed Petrum sanctum obsecro imitare & fac similiter. Non distulit ille conuersionem, sed eodem temporis momento eam inchoauit neq; tu differas, sed subito subitoq; eam aggredere. Agnouit ille peccatum ad cor suum reuersus à quo exulabat, agnosce tu quoq; tua scelera cordis tui per examẽ scrutãdo intima. *Egressus est ille FORAS: egredere tu quoq; tum cessando à peccatis, tum deserendo malorum consortium, tum vitando in posterũ peccandi occasiones.* *FLEUIT PETRVS amare: Fleas tu quoq; si potes quod conari debes, etiam oculis carnis exemplo & Petri, & magni regis clamantis.* *Exitus aquarũ deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legẽ tuam: si id nequis, defleas necessario oculis cordis tui omnia peccata tua intime dolẽdo.* *Tetam vilem, tam spurcũ vermiculum, puluerem, putredinem, hominem ignorantissimũ offendisse tot & tantis peccatis Deum conditorem, redemptorem, conseruatorẽ, tantumq; benefactorem tuũ, quantus tu es cum omnibus quã habes ac possides.* Hæc inquã recogita, in amaritudine animæ
 tuæ

Illico.

Ingressus.
Egressus.

Fleus.

Dolens.
Pf. 118. 136.

Confiteor & tua & contritione valida contere cor tuum
 osque aperias ad confitenda etiam scelera,
 quorum tenes memoriã, non solum coram
 Deo, sed etiam coram Sacerdote, firmo &
 veraci cum animo & suscipiendi, & fideliter
 exequendi quæcunque confessarius impo-
 fuerit tibi opera satisfactoria. Ea enim sunt
Fruktus fa- fruktus illi pœnitentiæ quos Ioannes Bapti-
ciens pani- sta commendauit. Quod si hæc egeris acce-
tentia. dente sacerdotali absolutione spem bonam
 concipias te ex hædo ouem effectũ & à sini-
 stris ad dextram translatum iri. Per merita
 & satisfactiones Christi Iesu Domini no-
 stri, qui cum Patre in vnitate Spiritus sancti,
 viuunt & regnat Deus in æternum, Amen.



*AZYMA
 ET VNA
 SPECIES.*

CONCIO II.

FIDES.

*Ante diem festum Pasche. Item, Ex-
 emplum enim dedi vobis, ut quemad-
 modum ego feci vobis, ita & vos fa-
 ciatis.*

Agendũ cõ- **Q** Vandoquidem contra duo Ecclesiæ
tra duplices hostium genera in hisce partibus con-
hostes. spicua,

spicua, contra Schismaticos inquam & hæreticos agere hodie institui: Propterea in capite duo quoque themata posui, prius quidem ex primis posterius verò ex postremis Euangelij hodierni verbis depromptum. Illud enim Schismaticis præcipua est hac in parte petra scandali quando contra azyma Catholicorum debachantur: hoc verò hæreticos quos hic Vtraquistas (sunt enim quidam illorum qui in omnibus penè cum Catholicis conueniunt præter vsum vtriusq; spectei) valide ferit & conuincit.

Quare in totidem partes nostram hanc *PROP. Bipartita.* concionem partiemur, Primam Græcis & nostris Russis: alteram tum dictis tum Hussitis & Lutheranis dedicantes, vt omnes ad Christi Ecclesiam conuertantur & viuant. Faueat faxitq; Christus Iesus.

Modus cum vtrisque agendi is erit. *Modus agendi contra vtraq;* Principio thema explicabimus deinde veritatem errori opponemus, ac demum argumenta quæcunque sunt aduersariorum dissoluemus. Id verò in priori controuersia plenius, in altera strictius agemus. Quia illam quidè resumendi amplius non est animus: de hac verò iterum & tertio & quotiescunque sese offeret occasio tractandi & materiæ copia & importunitas aduersariorum requirit. Propterea hodie paruo iacto fundamento tum post quadriduum tum alias Deo & vita comite

mire copiosius nos de ea acturos speramus. Sed iam priores aggrediamur.

I. PARS. ANTE DIEM FESTVM PASCHÆ,
AZYMA. inquit noster D. Ioannes, nos vero quærimus ANTE quemnam DIEM PASCHÆ hæc acta fuerint? Nam Pascha Iudaicum nõ solum cceptum, sed etiam peractum iam à Christo fuisse satis clarè demonstrant verba illa: SVRGIT A MENSA, quæ paulo post Ioann. subiungit. Surrexit enim post comestionem agni Paschalis. Neque vero satis responsum videtur diem sequentem qui erant celeberrimus, & in quo Christus passus est sic nuucupatum esse, tum quod dies hæc ab occasu iuxta consuetudinem Iudæorum iam inchoata fuerit. Quomodo ergo dicitur id actum ANTE illam cum iam illa ccepisset? tum quod D. Ioannes multis aliis nominibus sit hæc responsioni contrarius. Is enim dicit Iudæos ideo non esse ingressos in pratorium vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha. Pascha autem vocabatur agnus Paschalis, vt tum è veteri, tum ex nouo constat Testamento. Azyma vero nusquam in scriptura Pascha vocantur. Nondum ergo Iudæi comederant agnum. Rursus idem Ioan. peracta crucifixione imo mortuo iam Christo inquit, quoniam Parasceue erat, & inferius vocat, Parasceuen Iudæorum, id est præparationem ad diem festum.

*Thematis
 explicatio
 Et difficul-
 tas.*

*1. Quid
 ANTE?
 Vrgetur.*

*2. Quid
 pascha?*

*Ioan. 18. 28
 1. Esd. 6. 19.*

*3. Quid Pa-
 rasceue.*

*Mat. 26. 17
 Ioan. 19. 31*

festum. Quod vero addit. *Erat enim magnus* Ibid. 9. 42.
dies ille Sabbati; non ideo id dicitur, quod Ibid. 9. 31.
 Sabbatum illud esset intra octavas Paschæ: 4. Quid
 quid enim inde magnitudinis illi accresce- magnus di-
 ret? Sed quia in idem Sabbatum Pascha in- es Sabbati?
 ciderat. Ideo paulo ante vocavit diem il-
 lum *Parasceue Paschæ*. Denique Iudæi bi- Ibid. 9. 14.
 duo ante clarè concluderant, ut non in die fe- Mat. 26. 5.
 sto occideretur Christus; dantque ratio- 5. Quid non
 nem, ne forte tumultus fieret in populo. Dies in die fe-
 ergo in qua crucifixus est Christus non erat sto, &c.
 dies festus, sed præparatio ad diem festum
 Iudæorum. Ex his & quibusdam ratiun- Consequen-
 culis quas inferius attingemus novi Græ- tia inde
 ci (nam antè Euthymium hæc opinio inau- Græcorum
 dita fuit) & nostri Russi Schismatici con- quing.
 cludunt, neque eadem die Christum cum
 Iudæis Pascha celebrasse, neque decima
 quarta, sed decima tertia luna illum id e-
 gisse: ac proinde cum id temporis necdum
 essent azyma, non in azymis, sed ferment-
 tato consecrassè: atque ita fieri oportere:
 qui secus se gerunt, inter hæreticos
 censendos esse contendunt. Quanta con-
 sequentiarum colluies & ineptitudo? qui-
 bus coronidis loco addunt blasphemiam, de
 qua infra.

Quid vero ad hæc qui sunt Romanæ Ec- Catholico-
 clesie? Hi vno & verissimo ore asseuerant, rum senten-
 ex his illationibus posteriores prioribus tia.
 semper

QVÆST.
An eadem
die celebra-
runt Pascha
cum Chri-
sto Iudæi.
Affirmans.

Negans sed
aliter quã
Græci.

1. Ob tradit
Iudæi.

2. Ob duo
festi.

3. Propter
festum ta-
bernaculo-
rum.

Nu. 16. 29.

semper esse ineptiores, absurdiores, denique impias. Prima sola excepta de qua inter doctos aliquantulum disceptatur, & itur in duas partes. Quidam enim affirmant eadem omnino die Iudæos cum Christo Pascha celebrasse, Christumque in die solenni passum esse. Alij vero concedunt quidem distinctis id actum esse diebus: veruntamen hoc ne minimum quidem erroribus Græcorum patrocinari. Non enim Christus decima tertia luna, vt illi autumant Pascha obiuit, sed Iudæi ad decimam quintam suam transfulerunt, propter traditionem Rabbinoꝝ, quæ etiam nunc viget, vt si Pascha incideret in feriam sextam transferretur in Sabbatum. Cum ne duo festa solennia simul concurrerent; tum ne festum tabernaculorum in Sabbatum incideret in quo affligere animas (quod hoc festum requirebat) conueniens non erat. Hæc vero omnia eo quo Christus passus est anno, ita accidisse computatores temporum demonstrant. Itaque secundum hanc opinionem Christus quidẽ Pascha, id est agnum māducabat nocte quæ feriam quintã sequebatur, quo tempore secundum legem Moyſi id fieri oportuit. Iudæi vero agni comestionem in diem sequentem dictis de causis transfulerat. Illa est igitur inter alumnos Romanæ Ecclesiæ differẽtia, de reliquo hæc omnes & dicunt & probant.

Primo

Primo peccare Græcos & Russos, asse-
rentes Luna decima tertia ad vesperū Chri-
stum cum Apostolis agnum manducasse. Id
enim adeo fuit vetitum in lege Moyfi vt si
quis propter immunditiam legalē non po-
tuisset celebrare Pascha decima quarta Lu-
na mensis primi, debuerit expectare ean-
dem decimam quartam Lunam mensis se-
cundi, & tunc celebrare: nunquam autem li-
cuit antevertere. Porro asserere Christum
dispensasse secum in lege, non solum gratis,
sed etiam contra totum Euangelium dicitur.
Hoc enim nos docet, Christum Iesum
adeo legem Moyfi ad amissum obseruasse, vt
nec iota vnum aut vnus apex præterierit de lege.
Propterea nec ipsi hostes eius capitales quic-
quam tale ei obijcere poterant. præter Sab-
bathum quod tamen veraciter nunquam
violauit, sed tantum iuxta eorum opinio-
nem vel calumniam potius.

Secundo peccant iidem multo grauius
affirmantes Christum non azymo, sed fer-
mentato pane vsu esse: tum in manduca-
tione agni tum in consecratione Eucharis-
tiæ. Id enim toti veteri & nouo testamento
adeo repugnat vt etiamsi ad vesperam Lu-
næ decimæ tertiæ agnū manducasset; (quod
falsissimum est) tamen azymis illum vt o-
portuerit. Etenim tam strictè hoc præcipi-
tur in lege Moyfi, vt si quis non solum illo

N n

die

PRIMO
peccat Græci
ci in opini-
one de luna
decima ter-
tia. Id enim
est.

Num. 9. 10.
1. Contra
strictam le-
gem Moyfi.
2. Contra
Christi oba-
dientiam.

Mat. 5. 18.
3. Contra
scripturam.

*SECUN-
DO* Peccat
in opinione
de pane fer-
mentato.

1. Contra
legē Moyfi.

die quo agnus comedebatur, sed etiam alijs octo sequentibus fermento vteretur, perire debuerit anima illa de Israel. In noua vero lege omnes tres priores Euangelistæ expressis testatur verbis Christū azymis vsū fuisse. Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum, ait Matthæus, Marcus vero. Et primo die azymorum quando Pascha immolabāt. Porro Lucas. Venit autem dies azymorum in qua neesse erat occidi Pascha, nimirum iuxta legem Moyli. Quid his testimonijs potuit esse euidentius? Quid quod Iesus miserit Petrum & Ioannem dicens. Euntes parate nobis Pascha vt manducemus. Nonne his verbis clarissimè demonstratur illos cum cætera ad id pertinentia, tum panes azymos maximè necessarios præparasse? Ideo subditur & parauerunt Pascha. Tam potens est hoc argumentum, vt doctiores negare ausi non fuerint Christum cum azymis agnum manducasse. at subdunt illum absoluta agni comestione rediisse ad panem fermentatum, & in eo Eucharistiam consecrassse: quia licitum fuit Pascha anticipantibus toto die sequenti vti fermentato. Quanta fingendi libido! Fictitium. Demonstratum est non licuisse vnquam Pascha anteuertere, neque illi vllum exemplum præoccupationis istius adferent aliquando ex Scriptura. Illi verò quid? Ac

Exo. 12. 19.

2. Contra tres Euangelistas.

Mat. 26.

17.

Mar. 14.

22.

Luc. 22. 4.

Luc. 22. 8.

Responsum eorum insulsiſſimū.

Fictitium.

Ac si integrum id esse demonstrassent alias
hinc multo etiam ineptiores. formant si-
bi consequentias; nempe, tum potuisse il-
los vna die ad fermentum redire: tum
Christum id fecisse in Eucharistia idque ea-
dem plane hora: tum alia absurdissima.
Quis enim vnquam legit eos qui Pascha *Contra scri-*
cum azymis (vti necessario celebrari debuit *pturam.*
ipsis etiam concedentibus) iam inchoa-
rant, ad fermentum redire potuisse; cum
scriptura sub exterminationis pœna inter-
dicat, ne quis toto illo oſtiduo fermentum
domi habeat! At istis somnia sua pro *E spiritus*
verbo D E I vendere fas est, vt agnoscas *hæretico.*
eundem esse spiritum schismaticum, &
hæreticum, quibus quicquid dicere libet,
licet.

Tertio adhuc multo grauius peccant *TERTIO*
schismatici vocantes nos ideo hæreticos, *peccant Hæ-*
quia in azymis consecrantes, C H R I *reticos nos*
S T V M (vt illi aiunt) non imitamur. Quæ *vocantes.*
forma argumentandi si valida esset ipsos
profecto conficeret qui C H R I S T V M non
sequuntur, in azymis consecrantem vti pro-
batum est. Caterû Ecclesia Romana vt ma- *Romana*
trem videas, matrem agnoscas, mitius agit. *Ecclesia ve-*
Quamuis enim certa sit Christû Iesum in a- *rè mater.*
zymis consecrassè; tamen quia etiam nouit
ad essentiam panis nihil referre azymusne

*Ipsi ingrati.**Occupatio
obiectionis
de Iudaif-
mo.
NOTA.**Leu. 7. 13.
Etiam fer-
mento & si
Iudas.**Leu. 23. 17.*

fit an fermentatus: permittit Græcis vti fer-
mentato dummodo quiete viuere, & in v-
nitione antiqua permanere velint. At con-
trarium fit, ipsi enim absque vlla causa & se-
gregant se, & schismata nutriunt, & reddunt
malefacta pro benefactis in ipsam Ecclesia-
rum matrem (quod & canones Græcorum
& nostrorum Roxolanorum Prarridta ag-
noscunt) scommata iacentes eamque hæ-
resis impudenter insimulantes. Nam quod
nos azymis vtentes Iudaizare, & antiquos
sequi hæreticos voiferantur id more suo ca-
lumniosè faciunt. Ea enim ratione & aqua
ex baptismo, & oleo ex vnctionibus Sacer-
dotum, & lucernæ ex templis, & multa alia
quibus & nos, & illi vtuntur è medio tollen-
da essent, quia hæc omnia Iudæis familiaria
erant. At sicut inter nostrum & Iudæorum
baptisma, & cætera omnia: (& idem die de
hæreticis) ita in vsu panis azymi multæ, &
ingentes sunt differentiæ. Vt interim ta-
ceam, panes quoque fermentatos in sacrificiis
Iudæorum in vsu fuisse, cum alias, tum in
die Pentecostes, vbi iubet Deus offerre sibi
panes primitiarum duos de duabus decimis simi-
la fermentata. Ergo vel nullo pane nos v-
ti oportebit, vel Græci æquè vt nos Iu-
daizabunt. Quæ omnia licet bene sint il-
lis cognita; tamen odium quod gerunt
in pectore, & vincendi cupido cogit eos
nos

nos hæreticos vocitare. Videat Deus & iudicet. *1. Par. 12. 17*

Denique quarto grauissimè peccant noui Græci & illis adhærescentes, cum vi argumentorum secundo loco positorum adacti dicunt tres priores Euangelistas errasse falsumque scripsisse, ideoque à Ioanne qui posterior scripsit correctos fuisse. O miserè cò vos tandem proteruia & pertinacia vestra impellere debuit, vt Deum blasphemare nõ vereremini. Nonne Spiritus sanctus Deus est? Nonne Deum mentiri impossibile est? Id certè ait D. Paulus cū inquit *Qui non mētitur Deus: et iterum Impossibile est mentiri Deum.* Nonne Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines, vt toidem verbis testatur, princeps Apostolorum Petrus? Qui vero sunt sanctiores scriptores Apostolis & Euāgelistis? Itaque dicere Euangelistas scripsisse falsum, est mendacij arguere Spiritum sanctum, quo inspirante hæc illi ediderunt. Hoc vero peccatum nonne vnum est ex illis, de quibus ipse Saluator ore suo? *Qui autem dixerit contra spiritum sanctum non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro.* O quam seueram rationem daturi estis in illa die huic qui verba ista protulit, nisi tempestiuè conuertamini ad pœnitentiam. Quid dicam peculiariter de S. Matthæo? Hic certè cum aliis Apostolis huic cœnæ interfuit, &

QVARTO peccat blasphemantes.

Tum Spiritum sanctum Deum.
Tit. 1. 2.
Heb. 6. 16.
2. Pet. 1. 21.

Grauitas huius peccati.
Mat. 12. 32

Tum peculiariter D. Matthæum

gustavit qualisnā panis fuerit. Proinde scribens azyma fuisse, aut ipse contra propriam scientiam & conscientiam locutus est mendaciter, aut mendaces sunt Schismatici qui illi mendacium impingunt, mendacijq; sui & blasphemix terribiles pœnas dabunt. Vt nam vero non experiantur.

*Responde-
tur ad D.
Ioan (qui
non corre-
xit, sed sup-
pleuit alios
Euang.)*

Cæterum quod ad D. Ioannem attinet is non idcirco scripsit postremus Euangelium vt priores corrigeret. Absit talis cogitatio à Christianorum mentibus : sed cum alijs de causis, tū vt quod alij omiserunt ipse supple- ret; quod sicut alias frequenter ita hic egregiè præstat. Prætermisit enim describere institutionem Eucharistix, quia copiosè eam ab alijs conscriptam legit; reposuit verò tum lotionem pedum, de qua hodiernum est Euangelium : tum sermonem illum augustissimum post vltimam cœnam à Christo habitum, quia nihil ab alijs hac in parte notatum animaduertit. Ita ratione huius quam tractamus materiæ de Paschate quidem à Christo celebrato & azymis panibus ne verbum, quia alij id prosecuti erant, Paschatis verò & Parasceux Iudæorum itentidem mentionē facit quia hæc à cæteris neglecta fuere. Vnde eorū quæ obiecta sunt in principio, facilis est secundum vtramque Catholicorum opinionem solutio. Nam illi qui

*Primo, se-
cundum
priorem o-
pinionem.*

quiasserunt eadem die, Christum cum Iudæis Pascha celebrasse; respondent: illud quidem de non occidendo Christo in die festo aut mutatum, aut dictum tantum, non autem receptum fuisse ab omnibus. De manducatione vero Paschæ, & Parasceuæ Iudæorum, aiunt comessionem istam non de agno, sed de onibus ac bobus, qui intra octauas immolabantur, & phasæ nomine in scriptura insigniebantur intelligenda esse. Parasceue vero fuisse ad Sabbatum quod magis strictè, quam ipsum Pascha seruari certum est. In Paschate enim licebat parare ea quæ ad victum pertinebant, in Sabbato vero ne ignis in domibus accendi debuit.

Deu. 16. 2.

Exo. 12. 16.

Exod. 35. 3.

Hæc isti, illi vero alij qui iuxta modum explicatum concedunt diuersis diebus à CHRISTO & Iudæis Pascha esse celebratum, facilius etiam se ab his argumentis expediunt. Aiunt enim omnia suæ fauere sententiæ, eamque confirmare maximè ac pulcherrimè quadrare vniuersa. Etenim Christus Iesus legis Mosaicæ obsequentissimus prout Moles iusserat celebravit Pascha, decima quarta luna ad vesperum & nocte sequenti, quando etiam instituit sacrificium noui Testamenti, in quo tanquam Sacerdos secundū ordinem Melchisedech, sub speciebus panis & vini seipsum, tū patri æterno

Deinde secundum alteram.

NOTA. Historiam falsam.

obtulit; tum manducandum Apostolis præbuit. Postridie vero, id est decima quinta luna quæ dies Iudæis profana propter traditionem fuit, Secundum ordinem Aaron oblatum est in cruce cruentatus, eadem omnino hora, qua Iudæi suos agnos immolabant. Mira sanè Dei prouidentia. Notandum est enim quod & illi qui prioris sunt opinionis notant nempe agnum quamuis post occasum solis manducaretur, offerri tamen fuisse aliquot horis solitum ante. Id nõ solum insinuat in Exodo, sed res etiam ipsa loquitur, In Exodo sic habetur, *Immolabitque eum vniversa multitudo filiorum Israel ad vesperam.* Et paulo post: *Et edent carnes nonne illa assas igni, & azymos panes, &c.* Neque aliter fieri potuit. Nam post immolationem debuit præparari, & assari agnus, vt manducari posset. Itaque si res benè consideretur & cõputetur, eadem plane hora, eodemque momento agni à Iudæis per mactationem Deo offerebantur, quo Christus in crucem positus in manus patris animam suam reddidit; hora videlicet nona. Scribit enim Marcus. *Et hora nona exclamauit Iesus Eloi, Eloi, &c.* Quo dicto paulo post, *emissa voce expirauit*: illa videlicet voce prolata quam Lucas habet. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Et hoc ipso tempore agni necessario mactabantur. Nam ab hora nona usque

Tolet. in
hac Verba
ANTE, etc
Annot. 4.

Exod. 12. 6.
Ibid. 8.

Eadem ho.
ra Christus
immolatus
qua agni.

Mar. 15. 34
Ibid. 37.

Luc. 23. 46

vsque ad noctem tres tantum horæ remanebant (iuxta horologiorum Palæstinæ ordinem) quæ ad præparandum & assandum agnum necessariæ erant omnino. Hæc est iuxta utramque opinionem ad Græcorum obiecta solida, & clara responsio.

Quid vero dicemus ad illud argumētum quod toties ex ore nostrorum Rufforū magno cum feruore repetitum audiui (sicut & illud de tribus Euangelistis à D. Ioanne commendatis) nempe cum ex Euangelio constet Christum accepisse in manus panem. Constet etiam ex ethymo verbi Græci azyma panem dici non posse. Concluditur ergo fermentatum panem qui solus vere panis est, ibi fuisse & non azyma. Dicemus illos, ut in aliis multis ita hic, aut inscitia, aut malitia laborare. Inscitia arguit illos doctor ipsorum qui claris verbis testatur eos, qui hoc asserunt ignorantes omnino esse. Et certè Theodoretum Græcum ethymon verbi Græci latere non potuit. Adde si ex ethymo deducto, prout cuius placet argumenta eruemus, quid firmi in scriptura habebimus? Malitia vero eorum est, si licet sciant non solum in cōmuni modo loquendi, sed etiam in ipsa scriptura noui & veteris Testamenti, azyma verè & dici & esse panē: veritatem tamen agnitam oppugnant, & pertinaciter in suo persistunt errore; quod

Nn 5 illos

*Obiectis
negantium
azyma esse
panem.*

Imperita.

*Theodoret.
in cap. 10.
Dan.
Ineptia.*

Malitiosa.

*Contra scri-
pturam.
Leuit. 24.
Maxime
vni Testa-
menti.*

Luc. 24. 30.

Exod. 13.

*Apostrophe
ad Russos.*

Col. 1. 20.

illos facere meis auribus audiui. Nam quod ad scripturam attinet innumera sunt penè veteris Testamenti loca, in quibus panis azymi fit mentio. *Cum obtuleris*, inquit Moyses, *panes scilicet absque fermento*, ecce azymi descriptio. In nouo vero miramur, & laudamus diuinam prouidentiam quæ hanc ipsam impudentiam negantium panes azymos esse absolutè panes, loquens de Christo disertis confutat verbis. Etenim D. Lucas describens historiam CHRISTI euntis ad Emaus cum duobus discipulis inter alia inquit. *Et factum est dum recumberet cum eis accepit panem, & benedixit ac fregit, & porrigebat illis*. Vides panes azymos absolutè panes esse vocatos? Neque enim alij panes ibi aderant cum Pascha iam inchoatum esset à biduo vel triduo. Toto vero octiduo præcipiente Moyse in omnibus finibus Iudææ fermentum non reperiebatur.

Quæ cum ita sint ad vos ego Roxolani mei qui sociis vestris cum suo Metropolita seu Archiepiscopo aliisque Episcopis vestris adunatis Romanæ eidemq; Apostolicæ Ecclesiæ relictis in Schismate perseuerastis meum conuerto sermonem, vosque per viscera misericordiæ Dei, *per sanguinem Christi Iesu pacificantem siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt*, per quæ salutem animarum vestrarum rogo & obsecro, vt tandem oculos mentis aperire

sperire velitis, & intuentes; rñ veritatem sole meridiano clariorem, tum pelagus inceptiarum, absurditatum, blasphemiarum, in quod vos vestri isti ignorantes Magistri inceptis suis consequentiis, quarum vnā ex alia erroneè neciunt impulerunt, imperitia, malitia, pertinacia, & discordia repudiata ac reiecta ad vnionem & pacem, ad veritatem in sacris literis fundatam, ad Patres vestros Epiphanium, Chrysostomum, Theophylactum, & alios qui idem nobiscum senserunt, ad fratres denique vestros, qui saluis antiquis ritibus Ecclesie Catholice peramanter copulati sunt conuerti velitis, vt sanctis coadunati, & ipsi sancti effecti, piè, sanctè, & pacificè viuentes, ab auctore datoreque pacis mercedem pacificis assignatam, illam inquam de qua ipse ore suo. *Beati pacifici quoniam ipsi Deum videbunt, accipere mereamini, Faxit Iesus.*

Epiph. her. 30. Chryf. de proditio- ne Iude, & in Nat. Io- an. Bapt. Theoph. in 26. cap. Matth.

Matth. 3. 9.

Sed iam ad alteram concionis partem veniamus. Themaque imprimis videamus.

II. PARS. De vna specie.

EXEMPLVM DEDI VOBIS, inquit IESVS absoluta pedum Apostolicorum lotionē.

VT QVEMADMODVM EGO FECI VOBIS, id est, vt sicut ego Dominus & Magister vester prout me verè vocatis abluipedes vestros.

Thema excutitur inde.

ITA

*QVÆST.**An lotio
pedum sit
præcepta.
Negant
omnes Ca-
tholici.**Esse tamen
quid sacra-
mentale,
putat
Ambrosius
lib. 3. de Sa-
cram. ca. 1.**Cyp. & Ber.
Cyp. serm.
de ablutio-
ne pedum.
Ber. ser. de
cæna Dom.
Distinctio.*

ITA ET VOS FACIATIS, Pedes videlicet alter alterius lauare velitis. Quid? Estne hoc præceptum, quod tam claris & imperium denotantibus iubetur verbis? Respondeo. Quamuis nullus sit Catholicorum qui verba hæc in sensu quem habere videntur, nēpe de lotionem pedum ita intelligat vt putet præuaricatorem esse legis Christi, qui id facere negligat: esse tamen aliquos ē Sanctis Patribus qui tum verba ista, tum vsū ablu-tionis pedum sacramentale quid significare autumant. E quorum numero est S. Am-brosius, qui licet conceptis verbis testetur se in omnibus & libenter & reuerenter se-qui Romanam Ecclesiam, quam sciret lotionem istam pedum in vsu non habere, pu-tat tamen si illa adhibeatur, iis qui baptizan-tur antequam ad Sacramentum Eucharistię admittantur, prodesse tum ad fomitem, qui etiam post baptismum remanet aliquantu-lum reprimendum, tum ad roborandos fi-deles, contra diabolicos insultus. Propterea ipse omnibus à se baptizatis id officij exhi-bere consueuerat. Sed & D. Cyprianus cum D. Bernardo valere lotionem pedum ad re-missionem peccatorum venialium asseue-rare videntur. Quod si illam solam quam Christus exercuit pedum lotionem, id ha-buisse putant, satis. Sin, vero de omni pedum lotionem intelligunt, minus probabiliter, &
contra

contra sensum ac consensum aliorum omnium hæc loquuntur.

Veritas hæc est, tum istis, tum aliis quæ præcesserunt Christi verbis tria nobis commendari. Primum humilitatem, cuius hic actus fuit præclarissimus. Quo non solum omnibus suis hanc virtutem Christus enixè laudavit, sed etiam mira & diuina sua providentia remedia contra vulnus paulo post Apostolis infligendum præparavit. Quid hoc vulneris? Illud his verbis describit Lucas; *Facta est autem & contentio inter eos, nempe Apostolos, quis eorum videretur esse maior.* Magnum siue vulnus, siue vlcus est ambitio, nec alio quam humilitatis curandum cataplasmate. Hoc igitur excellentissimum summus medicorum Iesus, antequam virus in cutem irrumperet iam parauerat. O bonitas! O sapientia! Utinam eo uti velimus. Deinde commendatur hic nobis charitas, sicut ex verbis illis Euangelij, *CUM DILEXISSET SVOS, QUI ERANT IN MVNDO, IN FINEM DILEXIT EOS.* quæ lotioni pedum præmittuntur quemlibet vestrum animaduertisse arbitror. Proinde nos quoque, siue hoc ablutionis pedum, siue aliud pietatis, & charitatis opus cum necessitas requirit proximis nostris debemus exhibere. Postremo quod haud postremum imo forte primarium Christi fuit intentum, docuit nos factis dictisque

*Tria his
verbis coram
mendantur.
1. Humilitas.*

Luc. 22, 24

2. Charitas

*3. Preparatio
ad Est. char.*

dictisque Christus Iesus puritatem & mundiciem conscientie, quam habere debemus, quando ad sanctissimum Eucharistia Sacramentum nos præparamus. Propterea & ipse Christus non paucis verbis loquens cum Petro dixerit de MUNDITIA : & sponsa ipsius Ecclesia hodie nobis legit epistolam, in qua D. Paulus factum istud Christi, quasi interpretans inquit, *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Cuius probationis cum necdum essent capaces Apostoli, Christus tum cæremonia, tum dictis externis docet eos, quid interne in posterum illos in conscientia agere oporteat. Hæc igitur tria, si nos quoque egerimus, nã divini huius mādati diligentes exequutores erimus.

1. Cor. 11. 28.

*Quæritur
nō heret.
an id sit
præcept.*

In hoc solido textus interpretationis fundamento, iam ad promissa accedamus. Quærimus itaque à Lutheranis, & aliis vtraqu coastis quidnam ipsi de his Christi verbis: **ITA ET VOS FACIATIS** sentiant? Estne hic de lotione pedum necessaria in Ecclesia præceptum Christi Domini, necne? Respondent non esse: idque facti ipso comprobant, cum pedes discipulorum suorum, sibi que credentium non lauent. At ego è contrario demonstrō iuxta illorum principia, & praxim necessario hic præceptum agnoscendum esse. Doctrina enim vestra

*Probatur
contrariū.*

vestra & primum principium est: tum scripturam per se esse claram, tum illam solam sequendam, & pro iudice omnium controversiarum agnoscendam esse. Hinc subsumo. At verbum hoc FACIATIS tum natura sua, tum interpretatione vestra præceptum designat. Mandatum igitur erit Christi, ut superiores inferiorum, Ministri discipulorum, pedes abluant. Quod cum non faciant, neque facere doceant, prævaricatores erunt legis Christi, legis diuinæ. Quid istorum negatis? Propositio vestra est. Assumptio vestra. Inter alia enim quæ maxime vrgetis contra vsum vnus speciei est istud. Scriptum est Christum in institutione Sacramenti Eucharistiæ dum porrigeret calicem dixisse; HOC FACITE. Præceptum igitur est Christi de vso vtriusque speciei, quod quia Papistæ non faciunt violatores aperti mandati Domini erunt. O quam stentorea voce hæc vestris pullis inculcatis, hacque ratione miserè illis imponitis. Clamo enim ego vicissim. Scriptum est Christum post lotionem pedum dixisse. ITA ET VOS FACIATIS, præceptum est igitur, de hoc Christi; quod quia vos, ô Ministri cum vestro cætu non facitis, violatores aperti mandati diuini eritis. Quid ad hæc! certe FACITE ET FACIATIS, idem significare omnes Calepini à vobis editi docent.

Dicent

1. Ex coru
principis.

2. Vrgetur
valide.

3. *Adhuc
Validius ex
resspōso.*

NOTA.

4. *Indidem
Eg. textu.*

Dicent fortassis se à nobis, & tota antiquitate quæ hic præceptum Christi non agnoscit id didicisse. Vobis vero quid nobiscum, aut cum tota antiquitate rei est? qui omnes cõuiciis afficitis, & traditiones humanas, non autem verbum Dei expressum sequi clamitatis? Proferte igitur ô Caco Evangelici expressum verbum Dei, quod dicat FACITE ex ore Dei prolatum non semper præceptum denotare. Id vero etiamsi faceretis (quod nunquam fiet) nihil tamen efficeretis. Deberis enim mihi ostendere, ubi dicat scriptura verbum hoc FACITE; FACIATIS; eodem ore Christi in eadem ultima cena prolatum, in institutione quidem Eucharistiæ vim præcepti habere, in lotionne vero pedum non habere. Respõdet quidam postillator Polonicus verba ista, ITA ET VOS FACIATIS de humilitate non de pedum ablutione à Christo dicta esse. At qua fronte te Evangelicum vocas cum contrarium Evangelio dicas? Verba Christi in Evangelio sunt. SI EGO LAVI PEDES VESTROS DOMINVS ET MAGISTER, ET VOS DEBETIS, (audis aliud verbum præceptum sonans. DEBETIS inquit, id est obligati estis) ALTER ALTERIVS LAVARE PEDES. Et statim subdit quod in themate habes. Quid ipso Christo interprete evidentius dici potuit? Nihil equidem.

Contra

Contra vosmetipsos inquis, & Patres & Ecclesiam vestram hæc omnia dicitis, qui si-
cut & nos pedum abluionem non observa-
tis. Imo vero contra vos directè & insolubi-
liter. Nobis enim quid Christo iudici respō-
deamus in promptu est. Dicemus enim nos
quia ex ore ipsius audiuius. *Qui vos audit,*
me audit. Et iterum: *Qui autem Ecclesiam non*
audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus,
dictis eius obtemperantes fuisse, & sicut in
aliis ita in interpretatione scripturæ Eccle-
siæ obsecundasse. Quapropter Ecclesiæ do-
centi verbum hoc FACITE, neque respec-
tu lotionis pedum, neque respectu vtri-
usque speciei vim præcepti obtinere obedi-
uimus, & ob edimus ita volente & iubente
Christo Iesu. Vos vero rogo per Deum
immortalem quam iudici Christo dabit
tisfactionem! qui nullum in mundo iudi-
cem controuersiarum, siue illæ sint de Arti-
culis fidei, siue de interpretatione scripturæ,
siue de aliis his rebus similibus admittitis;
sed de omnibus sicut vobis arridet iudicatis,
secundam caput vniuscuiusque proprium?
Quod in hac de qua agimus materia
plusquam euidens est. Placet vobis exposi-
tio Ecclesiæ in Euangelio hodierno FACIA-
TIS, non de lotionem pedum, sed de humili-
tate intelligi, non placet illud aliud FACITE
de necessario vsu vtriusque speciei, non in-
telligi

*s. Argum.
ex obiectio-
ne.*

*Nobis fauet
Leu. 10. 19.
Mat. 18. 17.*

*Illis est in-
solubile.*

*Radicem.
NOTA.*

telligi. Quid causa? Quia vt Kemnicus v-
 nus è vestris primariis inquit; dulcissima cõ-
 solatio sumitur ex calice. Audio & intelligo
 homines carni deditos, quæ carni placent
 semper appetere. Propterea cum potus boni
 vini palato & gulæ arideat, ablutio vero pe-
 dum alienorum aliquãdo foedorum, hor-
 roris plus quam voluptatis habeat, verbum
 FACITE ibi quidem vim præcepti, hîc
 vero minimè obtinebit, & Romana Eccle-
 sia hîc quidem bene, illic vero male scriptu-
 ram interpretatur. *Et iustificata est sapientia*
(dicam cum Christo loquente de sapientia
mundana) à filiis suis, id est filiis tenebrarum
harum tenebrionibus. Non autem à filiis
lucis, neque à filio Dei, qui aliter hæc & tru-
tinabit, & iudicabit, & damnabit. Sed forte
recurretis ad illud aliud vestrû asylum scri-
pturam per scripturam interpretandam ef-
se. Verum id & quam verum sit alias docui-
mus docebimusq; , & hic locum habet nul-
lum, cum solus D. Ioan. hanc historiam con-
scripserit.

Mat. 11. 19.

*Alia regu-
la hæret.
confutatur.*

*Tertia pu-
gnat contra
illos, Hinc
pro vna
specie.*

*1. Argum.
ex compara-
tione qua-
drupliciter
arget.*

Tertia interpretandi scriptura restat, vt
 antecedentia & consequentia consideren-
 tur. Ista vero multis nominibus est con-
 traria vobis. Nam si solam vim verborum
 scripturæ (vt agere vos iactatis) perpenda-
 tis multò strictius esse præceptum de lotio-
 ne pedum quam de vsu calicis reperietis.
 Primo

Primo quia in lotionē pedum leguntur illa verba. SI NON LAVERO TE NON HABEBIS PARTEM MECUM. Et iterum: QUI LOTVS EST NON INDIGET NISI VT PEDES LAVET. Rursum verbum illud præceptiuum DEBETIS, ac tandem ITA ET VOS FACIATIS. Quorum ibi præter verba HOC FACITE nihil reperitur? Quis non videt magnam vim esse ibi in antecedentibus hic vero nullam. Quare soli inhærendo scripturæ maius habemus nos ius omitteendi alteram speciem, quam vos lotionem pedum. Secundo fortius. Quia verba illa, HOC FACITE in institutione Eucharistiæ ab Euangelistis conscriptæ solus tamen Lucas habet, & quod mirandum magis soli tantum speciei panis illa adiungit. Sola igitur species panis, secundum verbum FACITE quod adeo vrgetis necessaria erit. Quanta est Christi de Ecclesia sua prouidentia quæ multo ante quam morbus oriretur medicinam parauit; quanta hinc Catholicorum consolatio hæreticis vero redeundi ad Ecclesiam occasio. Vtinam eam amplecti velint. Sed non permittunt Ministri. Respondent enim licet res ita se habeat apud Euangelistas, tamen D. Paulū eadem verba addidisse ad calicē. Addit sanè atqui non eodem modo. Nam ad speciem panis non so-

2. Ex eo quod Verbum FACITE soli speciei panis ab Euangel. apponitur.

3. Ex D.
Paul. nobis
obiectio.

1. Cor. 11. 25

lum Lucas, sed & ipse Paulus docet Christum simpliciter protulisse verba illa, *Hoc facite in meam commemorationem*. Ad calicem vero apponit conditionem dicens; *Hoc facite quotiescunque bibetis in meam commemorationem*. Quorsum hæc phrasis mutatio? Frustrane id Paulus fecit? Credant qui nihil præter id quod menti & ventri illorum placeat, etiam ex scriptura credunt. At qui veri sunt Evangelij amatores credunt ne apicem quidem aut iota vnum esse superuacaneum in scriptura. Quid ergo hic est mysterij? Et quid aliud quam quod verbum ipsum *quotiescunque* quod libertatem quandam sonat nobis porrigit? Ac si dicat, si aliquando bibetis id *in meam commemorationem*, facietis. Quod si idem verbum paulo post addit D. Paulus ad vtramque speciem, id facit, non iã Christi vt prius, sed suo nomine docens illos, quomodo se in sumptione gerere debeant. Sit igitur hoc tertium ex ipsorummet obiectione argumentum, quo demonstratur D. Paulus, & diuersimodè hac de re loqui, & nobis potius, quam ipsis fauere.

4. Ex eodè
D. Luca.
Luc. 22. 20.

Addo quartum ex illis, *similiter & calicem postquam cœnauit*, ibidem positus, quæ ad verbum sumpsit Paulus ex Luca. Et vterque euidenter testatur Christum Iesum vnam speciem ab alia separasse, & priorem quidem panis statim post ablutionem pedum, alterã vero

vero calicis demum post communem cœnam (de qua in quarta concione) dedisse quando uti probabile est iam prior illa species in stomacho consumpta fuit. In cuius rei memoriam olim expletis demum solemnibus calicis fieri solitam oblationem testatur Cyprianus. Cur vero id fecit Christus? Tum dicta de causa nempe ut medicinam morbo exorituræ præpararet: tum ut ostenderet tantundem sub vna quantum sub vtraque esse specie. Vtrobique enim est vnus & idem integer Christus: tum ut approbaret usum alterius tantum speciei, qui ab ipsis primordiis Euangelij, viguit in Ecclesia.

*Cypr. serm.
5. de lapsis.*

Dicam aliquid amplius ad consolationem meorum Catholicorum. Nunquam hæreticos demonstraturos in Iudæa datam fuisse plebi Eucharistiam, aliter quã sub vna tantum panis specie, etiam ab Apostolis, etiam ab ipso Christo. In Iudæa inquam. Nam illis qui ex Ethnicis conuertebantur quales erant Corinthij concedebatur vsus vtriusque speciei. Ostendant hæretici contrarium, vel vnico testimonio scripturæ tam claro, quam ipsi à nobis requirunt. Non ostendent vnquam. Et hoc ipsum est illud mysteriũ quod D. Paulus, imo ipse Christus verbo illo, quod *tiescunque* in institutione huius Sacramenti innuit. Dedit enim facultatem sponsæ suæ

*5. Ex G. s. in
Iudæa.*

*6. Ex Christo
libertatem
hanc
sponsæ suæ
danti.*

*Causam
huius rei.
NOTA.*

Ecclesiæ, siue vna, siue vtraque specie vten-
di. Quid causâ? Ea in promptu est, & ex ip-
sa scriptura, vsuque primitiua Ecclesiæ eru-
ta. Cum enim institutio huius Sacramen-
ti non alio fine à Christo Iesu Domino no-
stro fieret, quam vt ij qui credituri erant in
nomine eius, haberent modum participan-
di de sacrificio nouæ legis, quod è corpore &
sanguine ipsius verè hic præsentis constat.
Cumq; Apostolos suos non ad Iudæos tan-
tum, sed etiam ad ethnicos conuertendos
mitreret, permisit pro sua immensa boni-
tate ac prouidentia, vt in distributione hu-
ius Sacramenti adeoq; vsu augustissimi no-
ui Testamenti sacrificij, in illis principijs, &
vniuersim ac in genere ritibus sese omnium
accommodarent. Proinde quia Iudæi ex
rebus Deo sacrificatis aridis tantum uteban-
tur, libaminibus autem nunquam (vnde
Deu. 32. 38. *latriæ inquit, Et bibebant vinum libaminum*)
ne quis calumniaretur Christianos ad Ido-
latriam cuius hoc signû erat transiisse; in
Iudæa vnus tantum speciei vsus fuit, neq; vt
dixi hæretici cõtrarium ostendent vnquam.
E contrario vero cum Ethnicis tam aridis,
quam de libaminibus ex suis sacrificijs par-
ticipandi mos esset, concesserunt illis Apo-
stoli vtraque specie, panis videlicet, & vi-
ni vt. Ea tamen conditione vt scirent ne-
que

que illos plus, neque Iudæos minus quicquam habere. Cum utrobique vnus idemque sit Christus, in cruce quidem modo cruento semel, in altari vero secundum ordinem Melchisedech sub speciebus panis & vini quotidie immolatus. Hoc fundamento rectè intellecto tum hæreticorum de necessitate vtriusque speciei confictæ obiectiones vno flatu facile dissipabuntur, tum Ecclesiæ libertas, & in institutione Christi; & in dictis D. Pauli, & ipso vsu fundata, palam fiet omnibus.

Cæterum de vsu vnus speciei Christo fauente dicemus plura feria secunda Paschæ, nunc vero hoc quod tum ex Euāgelio, tum ex Epistola hodierna eruiamus argumentum concludamus. Itaque si quis hæreticorum (id enim primū in ore plerumque habere solent) te appetuerit vocans te legis Christi transgressorem propter vsu vnus speciei: Tu dic liberè quod olim primum omnium nostri temporis hæreticorum Lutherus Carlostadio dixit. Animicida (hoc titulo dilectum suum filium insigniuit) cur me facere prohibes, quod Christus non prohibuit, sed in libertate Ecclesiæ posuit? Prohibuisse respondet quando vsu vtriusque speciei præcepit illis verbis, HOC FACITE. Tu instas, & dic, idem Christus in eadem cœna idem verbum FACIATIS apposuit ad lotionē pedum.

*Conclusio
primarij
Argumenti.*

Per instantiam.

*Hæretici
quicquid
dixerint
criminis rei
erunt.*

dum. Quid tibi videtur esse id ibi præcepti? & quicquid respondebit criminis reus erit. Si asseret præcepti esse, prævaricatorem se legis diuinæ, quam non obseruat constituit. Si negabit; reus erit magni criminis, qui propter idem verbum quod nõ esse præcepti asserit Ecclesiam scindit, schismata nutrit, & alios calumniatur quod utique inter magna scelera reponendum est. Sin vero dixerit in usu quidem Eucharistiæ præcepti esse, in lotionem vero pedum minimè, peccabit grauius utpote qui cum alium iudicem præter scripturam non admittat, iudici suo id est scripturæ, quæ in utroque loco vno eodemque verbo utitur non obtemperat. Mihi certè hoc argumentandi genus quod ad hominem dicitur, & quo ipse Christus non semel usus legitur, bene semper cum hæreticis successit disputando. Neque ad hæc aliud responsi ex ore ipsorum extorquere potui, quam vel illud quod iam dixi nempe in ablutione pedum humilitatem tantum commendari, vel aliud esse lotionem pedum parui momenti, aliud Sacramentum Eucharistiæ. Ad quod ego præter iam dicta solida, & in scriptura fundata, Dixi primo quid si quis asseuerabit, sicut in ablutione pedum humilitatem ita in usu panis & calicis charitatem nobis commendari, & ita utrumque reuiciet, quomodo cõtrarium illi ex scriptura

*Vis huius
argum.*

*Duplex re-
sponso.*

*Triplex re-
plicatio
quam*

NOTA.

ptura

ptura probabis? Dixi secundo. Quid si alter aut vtrumque, aut neutrum Sacramentum esse affirmabit, qua scriptura cui soli credendum esse ais, hominem pertinacem (qualis tu quoque es) conuincas: cum scriptura, & neutrum vocet Sacramentum, & vtrumque plurimum commendet, imo lotionem pedum, vt vidisti strictius? Adhuc tam es excæcatus, vt non animaduertas ad quid vos vestra sophismata impellant? Dixi tertio directè. Fateor sanè aliud esse lotionem pedum, aliud vsum calicis consecrati. Atqui tu quoque si Christianus, imo si es homo vsu non carens rationis, fateri debes aliud esse adulterium, aliud homicidium, aliud furtum, nihilominus quia omnia ista, & his similia verbo, NE FACIAS, aut alio ei respondenti prohibita sunt quicquid illorum feceris violator legis diuinæ eris. Pari ratione aliud erat mandatum Ionæ datum vt iret ad prædicandum, Niniuitis, aliud præceptum regi Saul, vt percuteret *Ama-
lech*, & demoliretur *vniversa eius*. attamen quia neuter illorum iussis obtemperauit diuinis quamuis diuersimode vterque tamen punitus fuit à Deo. Quare? Quia FACITE, vel quid ei simile non expleuerunt. Ita omnino hic res se habet. Diuersum quid est Sacramentum Eucharistiæ à lotionem pedum,

O o § tamen

Ionæ 1.2.

1. Reg. 15.2.

tamen quia vtrumque vno eodemque verbo FACITE, FACIATIS, à CHRISTO præcipitur, tu qui solam scripturam pro iudice agnoscis, quicquid istorum neglexeris transgressor eris legis diuinæ ac pœnis quæ eiusmodi manent subiacebis, tanto grauioribus, quanto clariora sunt de lotionem pedum, quam de vtraque specie testimonia, sicut demonstratum est.

*Apostrophe
ad Cassa-
strophe.*

Quare sicut antea Schismaticos, ita nunc vos qui vtriusque speciei nimio inebriati estis desiderio alloquor, vosque cum ijs quibus & illos obtestationibus obsecro ut quæ dicta sunt diligenter considerantes, atque in intima præcordia demittentes, tum errorem illorum qui vos seduxerunt cognoscere: tam remedium tempestiuè adhibere velitis, antequam dies illa veniat, in qua iustus viuorum & mortuorum iudex Christus Iesus ex ore vestro seuerè iudicabit vos, qui pro iudice solam scripturam agnoscentes verbum FACITE præcepti esse asseuerantes, agere tamen illa quæ hoc verbo mandantur neglexistis. Remediū igitur adhibete rogo. Id vero dat vobis exemplo suo D. Petrus in hodierno Euangelio tale quo efficacius nullum. Quod si vno verbo nôsse vultis OBEDIENTIA est: quæ sicut sponsa Christo Iesu, ita & spon-

ſæ eius matri vero veſtræ Eccleſiæ ipſo id
 ſponſo præcipiente præſtare tenemini. Ita-
 que quemadmodum Petrus audito verbo
 Chriſti, **S I N O N L A V E R O T E N O N**
H A B E B I S P A R T E M M E C V M, confe-
 ſſim priorem illam ſuam ſatis tenacem opi-
 nionem depoſuit, ſententiam mutauit, &
 obediens extitit : ita vos audito verbo Ec-
 cleſiæ affirmantis omnibusque contelan-
 tis in perceptione ſacræ Euchariſtiæ, uſum
 vtriuſque ſpeciei neceſſarium non eſſe, illi-
 co, abſque vlla tergiuerſatione & cunctatio-
 ne; depoſita antiqua perfidia, fidem ſuſci-
 pite, Catholicam, & adunati cæteris qui per
 totum terrarum orbem diſperſi ſunt fide-
 libus, vos quoque vna ſpecie contenti ſitis, vt
 ea ratione ab eo qui propter nos, & ſalutem
 noſtram eſt *factus obediens vſque ad mortem,* *Phil. 2. 8.*
mortem autem crucis, obedientiæ veſtræ
 vberem olim mercedem re-
 cipiatis, Amen.

* *



CON-



EVANG.
CVM DO-
CTRINIS.

CONCIO III.

S P E S.

*Tria dona
nobis hodie
relicta.*

*Et modum.
NOIA.*

TRansteurus die hodierna (diem more Iudzorum à præcedenti vespera computando) ex hoc mundo in suo mortali corpore Christus Iesus Dominus noster, præter antiquum Phæse quod vltimum cum Apostolis celebrauit tria præclara, noua, inaudita, ac planè stupenda dona ac munera iure hæditario suis reliquit, quæ sponsa ipsius grata hodie recolit memoria. Primum fuit ablutio pedum Apostolicorum, & in ea illa de quibus præcedenti concione differuimus: Secundum institutio nouæ legis noui sacrificij excellentissimi & augustissimi. Tertium conscriptio testamenti & ordinatio sacramenti Eucharistiæ. Primum egit vt homo. Id enim facere potest quilibet homo. Secundum vt Deus. Solius enim Dei est tale quid constituere, in quo omnipotentia, sapientia, bonitas & alia diuina ipsius maxime relucet attributa: tertium vero fecit vt homo Deus. Nam & testamenta condunt homines, & tale testamentum præter Deum con-

um condere potuit nemo. Primum describit nobis hodiernum Euangelium. Secundum Epistola. Tertium utrumque insinuat. Sed & illud nouum est, Christum dominum non vnum vt ceteri faciunt homines, Sed duplex vel triplex omnino ordinasse testamentum. Duo quidem die hodierna: alterum in cœna quam iam recolimus: alterum in cruce cuius cras agemus memoriam: tertium dum ascensurus in cœlum vltimum vale dixit discipulis suis. Quærenti verò quodnam istorum trium cum primis testamentum sit nuncupandum? responderem hoc ipsum quod præ manibus habemus eiusmodi esse. Istud enim solum quod sciam ab ipso met Saluatore testamenti insignitur nomine: dicente Iesu. *Hic est sanguis meus noui Testamenti*, & apud Lucam *nouum Testamentum*.

*Triplex Testamentum
Christus
condidit.*

*Hodiernum
maxime
proprium.*

*Mat. 26. 27
Luc. 22. 20.*

Hoc igitur hodie recolit mater nostra sancta Romana Ecclesia cuius nos vestigijs insistentes, verbaque Euangelij quod recitauimus perpendentes: tum difficultates occurrentes dissoluet: tum doctrinas morales inde haurire: tum spem viuam excitare in nobis conabimur. Tu Iesu Christe conatibus benedic nostris vt quæ nos facturos recepimus, cum lingua tum opere ipso exequi & studeamus & valeamus.

*PROP.
Euang. explicabitur
cum doctrinis
S. S. C.*

ANTE DIEM FESTVM PASCHÆ, Quarta de

*Trib. modis
Euangelij
cōcordatur.*

decima videlicet luna primi mensis qui nobis est Martius post Solis occasum, Dicitur autem ANTE vel respectu diei naturalis Lunæ decimæ quintæ qui totus celebris erat: vel quia Iudæi Pascha suam distulerat ad vesperam decimæ quintæ, aut omnes iuxta traditionem de qua egimus in præcedenti concione, aut saltem principes qui occupati procuratione necis Christi Pascha tunc celebrare, id est agnum manducare non poterunt. Quid enim impedit quo minus de istis hæc verba Ioannis accipiamus, cum ipse testetur se Pascha Iudæorum describere? Itaque triplici hac via cæteri Euangelistæ cum Ioanne concordari poterunt. Porro quod sequitur.

*Quid sciuerit Christus
1. Doctrina
moralis &
spes.*

SCIENS IESVS. Demonstrat nihil penitus vel ignorante, vel inuito Iesu accidisse simulque nos docet ut quicquid pro nomine ipsius sustinemus id & libenter & alacriter faciamus: Hoc enim viuæ spei pabulum est præcipuum. Quid verò sciuit?

*Ioan. 7. 30.
Ioan. 8. 20.*

QVIA VENIT HORA EIVS. Hæc verba opponuntur verbis illis, *Nondum venerat hora eius*, quæ idem Ioannes antea aliquoties repetierat; ut scias iam aduentasse horam ab æterno præuisam, & à Christo susceptam non fatali necessitate, sed libera voluntate.

*2. Doctrina
Piorum
mors transi-
tus.*

VT TRANSEAT EX HOC MUNDO AD PATREM. Transiitum mortem vocat. Quæ phrasi

phrafi nos quoque utimur & sapius abuti-
 mur: cum de quouis mortuo dicimus illum
 transiisse ex hoc mundo. At verò scriptura
 plerumque de bonis id dixit. Hi enim cum
 ut peregrini se gerant in mundo soli propriè
 transeunt, quia hoc peregrinorum est, qui
 etiam idè transeutes dicuntur: secus im-
 pij qui mundo huic adglutinantur. Pulchrè
 & acutè ut assolet hac de re D. August. inquit
 [Aliud est transire EX MUNDO, aliud cum
 mundo: aliud AD PATREM aliud ad hostem]
 Datque exemplum Pharaonis, & Iudæorum
 quorum ille in mari periit, isti vero mare
 transuerunt. Ecce effigies quomodo te
 inter spem & metum oporteat ambulare.
 Terreat te Pharao ne Pelago huius mundi
 adhærescas, & in eo pereas. Spem dent Iu-
 dæi, ut ita viuas quo verè de te dici queat
 transiit per hoc mare, transiit EX MUN-
 DO AD PATREM, ad patriam, ad regnum,
 ad cælum. O beatus cui id euenerit. Eue-
 niat vero volenti. Modum requiris? Dicam
 paucis. Accommoda tibi mundum, non te
 mundo. Clarius. Non te immergas rebus
 mundanis, ut velis etiam contra voluntatem
 Dei frui illis, sic enim illis pereuntibus tu
 quoque peribis: sed utere illis tantum ad ne-
 cessitatem pie viuendo, resque mundi huius
 tibi strictim aptando. Ita enim illis transe-
 untibus tu permanebis. Imo dicam quid
 magis

Quia peregrini.

Quia impij cum Pharaone pereunt.

Aug. trakt. 55, in loam. Hinc spes & metus.

Modum transeundi. NOTA.

*Item res te-
cium tra-
bendi.
Mat. 6. 20.*

magis mirandum tecum ea ad patriam tra-
hes. Nonne audiisti dicentem Christum,
Thesaurizate vobis thesauros in celo? Vnde
thesauri isti? Non aliunde nisi ex his terre-
nis. Si bene illis vteris, si omnia ad laudem
Christi refers, si largas facis eleemosynas, si
opera misericordiae exerces; hæc vniuersa se-
quentur te in cœlum. Id igitur agamus om-
nes. Subdit D. Ioannes.

*Ad quid
hoc prae-
dicum.*

CVM DILEXISSET SVOS, stupendum fan-
nè hoc est prædicium tanta cum emphasi,
& tot cum circumstantiis prolatum, vt cre-
diderim Eucharistiae potius quam ablutio-
nis pedum intuitu, Ioannem hæc scripsisse.
Proinde in postrema concione plura de eo
dicemus. Iam vero quæ promissimus breui-
ter prosequamur. Quærimus igitur quos
hic suos.

Qui Christi

QVI ERANT IN MVNDO Christus in-
telligat? & respondetur Apostolos procul
dubio primario, secundario vero alios fide-
les etiam futuros. Sed nunquid ipse Chri-
stus cum hæc loqueretur non erat in mun-
do? Erat sanè sed iam iam transiturus, idcir-
co quasi iam non esset. Apostoli vero quia
& diutius permansuri, & multa passuri erant
in mundo, hanc dat illis consolationem, s v os
vocando. Dabit & nobis pro suis nos ha-
bendo, si gratiam quam hoc tempore per v-
sum Sacramentorum suscepimus pie viu-
do, &

*3. Doctrina
Et finis
Christi.*

do, & bona opera exercendo retinere curabimus. Hoc fulcrum spei oro sit semper in sinu nostro. Quam ad rem plurimum valet, quod de Christo subiungitur.

IN FINEM DILEXIT EOS. Id est vsque ad mortem quæ paulo post imminabat illi. Itaq; nos quoque non solum in iis, quæ modo diximus nos exercitemus, sed etiã IN FINEM vitæ in iis perseueremus, qui enim perseuerauerit vsque in finē hic saluus erit, ait Iesus. Dignissimum est enim vt magistrum discipulus, dominum seruus sequatur, vt ipse Christus paulo inferius docet. Id vero si habuerimus finis spei, fulgebit nobis. Sequitur.

ET CÆNA FACTA. De hac in sequenti concione agemus.

CVM DIABOLVS MISSET IN COR. Æmulus enim Christi est diabolus. Proinde sicut ille; *præbe fili mi cor tuum mihi*, clamat apud sapientem: ita istorum COR primum petit. Tu igitur vide cui illud consecres & conferas. An diabolo! Absit. Ergo Christo. Estne hic quispiam cuius cor hucusque à demone sit obsessum? Audias, intelligas, perhorrescas, sessorē nequam per poenitentiam excutias, optimum Christum recipias: ne sicut Sathan immisit in cor:

VT TRADERET EVM IVDAS SIMONIS ISCARIOTES, ita quid simile tibi obueniat. Qua de re quia in prima concione multis a-

Pp

ctum

*Fulcrū spei.**Quis finis.**4. Doctrina perseuerantia.**Mat. 10. 22.**Finis spei.**Sathan Christi æmulus.**Pro. 23. 24.**5. Doctrina cor nō diabolo, sed Christo præbere.**Comminatio.*

Etum est: idcirco & hæc omittuntur, & alia huius proœmij ad postrema seruanda erunt. Nunc vero explicandum reliquum Euan- gelij. Itaque.

*Quomodo
surgit Chri-
stus?*

Exo. 12. 11.

SVRGENS A CENA Christus Dominus. Per cœnam vero hic Ioannes intelligit man- ducationē antiqui Paschæ, & agni Paschalis quam peregerant, Surgere autē dicitur: quia forte iam nō cum tot cæremoniis, quæ olim in eius institutione visebantur, nempe vt re- nibus præcincti calceati baculos in manibus gestantes (quæ signa erant futuræ fugæ ex Ægypto) agnum festinantes vorarent, hæc peragebatur sed sedendo, vel decumbendo potius ad mensam, præsertim cum in Exodo non sit expressa mentio vt stantes id facerēt. Vel dicitur Christus surrexisse, quia post cō- mestionem agni iam aliam cœnam decum- bendo cœperant degustare, à qua surgit Christus.

*Quæ Vesti-
menta de-
posuit?*

6. Doctr.

*Facta Chri-
sti contem-
plari.
Luc. 22. 12.*

ET PONIT VESTIMENTA SVA, Ioan. hic plurali pro singulari numero vtitur, quod haud rarum in scriptura. Solam enim vestem superiorem siue pallium deposuerat. Quis vero nobis enarrabit, quā attoniti fuerint A- postoli hæc videntes? Quare nos quoq; cum illis miremur rogo, & seposita omni alia co- gitatione circumspeciamus oculis mētis no- stræ cœnaculum illud magnum stratam quidq; in eo agatur contemplemur. Ascendamus
scalas

scalas, mensam, & lectos Christumque accu-
bantem intueamur, & alia prout cuique gra-
tiam suam Christus communicare voluerit
meditemur; fructum vberem relaturi. Deni-
que aspiciamus quomodo iussis sedere Apo-
stolis ipse solus surgit à mensa, vestimenta
deponit.

ET CVM ACCEPISSET LINTEVM, aut ad id
paratum, aut quo manus abstergebantur.

PRÆCINXIT SE manibus propriis omnia
peragens, sicut & sequentia. Etenim.

DEINDE MITTIT AQVAM IN PELVIM. *Vnde aqua*

Vnde aqua ei fuerit, nulla est difficultas. No-
stis enim propter continua Iudæorū bap-
tisma illam nunquam in conuiuio defuisse.
Peluis vero adfuit fortè propter hoc ipsum
opus. Nā in vsu fuisse apud Iudæos, vt ablu-
rentur pedes primariis conuiuis: cum aliū-
de: tum ex facto Magdalenæ in domo Pha-
risæi, & parabola Christi illi adnexa satis li-
quet: At vero quod talis persona, & ipsa per
se (adiutorū enim non fit mentio) id obiret
officij, id stupèdum planè. Quid vero puta-
tis isthæc præter actum præcipuū humilita-
tis aliis carere mysterijs? Id ego mihi nō per-
suadeo, imo arbitror singulas Christi actio-
nes singula habere secreta & documenta e-
gregia, quorū ea quæ Iesus suggerere digna-
bitur sub finem concionis vobiscum lubens
cōmunicabo. Nunc vero in Euang. perga-
mus. Itaque: Pp 2 Et;

*Vnde aqua
& peluis.*

*Mos Iudæo-
rum.*

Luc. 7. 44.

Et, istis videlicet præparationibus peractis.

Stupor Angelorum. Ier. 2, 12. Cœpit lavare pedes discipulorum. *Obstupescite cæli super hoc, & porta eius desolamini; vehementer,* admirans olim clamabat Propheta propter rem, ut mihi quidem videtur longe minorem quam hæc est, nempe ob impietatem, & ingritudinem Iudæorum. Quid ni potius Angeli, Archangeli, Throni, Principatus, ipsi denique Cherubini & Seraphini obstupescerent, videntes filium Dei flexis genibus, coram sua creatura procumbentem, incipere lavare pedes, & pedes forte lutulentos, & sordidos discipulorum suorum?

7. Doctr. cū mirari, tum imitari talia facta Christi. ET EXTERGERE LINTEO QVO ERAT PRÆCINCTVS, par quidem est credere obstupuisse illos. Nos vero quid? quorum gratia hæc omnia acta fuere? Erimusne tam duro corde, ut sicis hæc transeamus oculis! O vana & vaga mens humana quæ nugas nugacissimas, quæ nihil ei profunt, imo sæpe obliunt plurimum, meditabitur, contemplantur ac ad ea identidem obstupescit: miranda vero, vtilia, necessaria, ne ad cogitationem quidem admittit suam. Non sumus nos ex talium genere dilectissimi, sed cum Angelos stupendo; tum Angelorum dominum, sequamur imitando. Ideoque talis tantiq; quantus erat Christus homo Deus, tam vili

vili ministerio permoti, aut ad idem, aut ad simile siue humilitatis, siue pietatis officium præstandum proximo nos excitemus obsecro. Nullus sit quæso vestrum qui aliquid eiusmodi die hodierna non peragat. Hac enim ratione Lucifer sanctæ spei orietur in cordibus vestris. Nam imitari eum in quem speras magnum verè, & Christianæ spei argumentum est. Cæterum quarunt hic Patres & Doctores, cuiusnam primum cœperit Christus lauare pedes. Nā quod dicitur.

*Hinc spes
eximita.*

VENIT ERGO AD SIMONEM PETRUM, antiquus Origenes putat ultimo loco euenisse: Chrysoſtomus vero arbitratur Christum primum ad Iudam Iscarioten deinde ad Petrum venisse. At Augustinus noster primum locū dat Petro, nec sine causa. Neque huic opinioni (vt quibusdam videbatur) obest particula ERGO. Tū quod phrasit sit communis vti ERGO cum sumus in procinctu operis, quod certo nos facturos instituiamus, etiam si illud nondū cœperimus exercere: tū quod simile quid paulo post in verbis Petri dicētis: TV MIHI LAVAS PEDES habeamus, sicut enim hic dicitur lauare pedes, licet necdum id agere cœpisset, ita potest dici, VENIT ERGO AD PETRUM, cum post præparationem ad illum primum accessisset.

*A quo cœ-
pta hæc pe-
dum ablu-
tio.*

*A Petro
probabilius*

Et vero quamuis à quo abluionem istam inchoarit Christus certo nobis non constat,

*Iuda Chri-
stus lauat
pedes.*

id tamen indubium est apud omnes, Iudam traditorem ex eorum quibus abluti sunt pedes numero fuisse. Proinde hic illud, *obstupescite cœli*, &c. locum habet maximum duplici nomine. Primum ob eam quã iam explicauimus causam. Si enim admiratione dignum est videre creatorẽ flecentem genua coram sua creatura, quanto magis stupendũ erit, coram suo proditore id eum facientem intueri? Deinde propter illam ipsam rationem, ob quã hæc verba dixit propheta: Protulit enim ea Ieremias demirans magnã Iudæorum ingratitude, qui tot à Deo acceptis beneficiis in Idololatriã delapsi erant.

Hinc duplex stupor.

1. Doctrina ne Christiani sint Idololatrie.

Quot vero nunc sunt inter Christianos, qui licet multo pluribus quam Iudæi à Christo dotati sint gratiis ac muneribus ipsi tamen tã sunt ingrati, vt Idololatrie sint per similes?

Eph. 5. 5. Phil. 3. 9.

Alij enim auaritiæ quæ teste Apostolo est *Idolorum seruitus* student: alij, *Deus venter est*, qui omnes & his similes diis suis dediti; ad Christum Deum per vsum Sacramentorum accedere nolunt. Quid dicã de illis: qui licet videant filium Dei flecentem genua coram hoste suo (qui paulo post neci illum erat traditurus) paratum culpam omnem & poenã ei condonare, ipsi tamen delictum contra se cõmissum ab aliquot mensibus imo annis condonare proximo suo nolunt, & idco ab vsu Sacramentorum abstinent? *Obstupescite cœli*

2. Doctr. vt culpas inimicis condonent.

Ier. 2. 12.

cœli

cæli super hoc, Christianorum ingratitude
genus. Duo enim mala fecit populus me⁹, inquit
propheta Christi nomine. Me dereliquerunt
fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas in-
eptissimarum excusationum: quarum illa v-
na est. Hæc inquit fecit Christus qui Deus
erat. Tanto magis ergo tu, ô insanum caput,
qui cinis & puluis es cineri, & pulueri tibi si-
mili culpam condonare, & similia facere de-
beres. O vesania! O induratio, vix non Pha-
raonica! Verè duo imo tria mala facit popu-
lus iste, O Domine Iesu. Primo te derelique-
runt, quem nec audire, nec imitari volunt.
Secundo proximum odio habent, quem si-
cut seipsum diligere deberēt: Tertio seipsum
ignominia afficiunt tum avaritiam & ventrē
suum pro Deo colendo ac templū Dei in se
destruendo, tum ne mortem amittant, vite
participes esse negligendo. Tu tu qui solus es
omnipotens Christe Iesu corda illorū ad pœ-
nitentiam, indeq; ad spem bonam conuer-
tere potes. Facias igitur rogo & obsecro ne
absorbeat eos baratrū aut desperationis aut
mortis repentinæ. Sicq; inspectantib⁹ oculis
suis pereant in æternum, quos preciosi. tuo
sanguine redimere dignatus es. Sed ad Chri-
stum & Petrum redeamus.

ET DICIT EI PETRVS, Christo videli-
cet videns illū flexis genibus ad pedes ipsius
prouolutum.

*Excusatio
impia,*

*10. Doctr.
Ne tria ma-
la faciant,*

*Oratio ad
Iesum,*

*Oratio Pe-
tri mira.*

DOMINE TV MIHI LAVAS PEDES!
Ecliptica, stuporis plena, & emphatica, ut esse obstupescantium solent est hæc oratio. Quis vim eius nobis enarrabit? Nemo. Ausim affirmare quod nec ipse Petrus nobis explicaret quod tunc mente versabat sua. TV, inquit DOMINE, & rex regum MIHI, pauperi piscatori? TV, puritas immensa, qui me audiēte ausus fuisti dicere hostibus tuis.

Ioan. 8. 46. Quis ex vobis arguet me de peccato? MIHI ex cuius ore iam pridem audiui. *Exi à me*

Luc. 5. 8. quia homo peccator sum Domine. TV, quem ego confessus sum filium Dei viui, ideoq; credo æqualem Patri, coæternum genitori Deum MIHI, Cineri, pulveri, vermi, putrido, stercore vasi. LAVAS. Tam vile præstas officium imo vilissimum, quia lauas PEDES quod opus vilissimorum mancipiorum est.

Mat. 16. 17. Plura vos considerate dilectissimi. Nec Petro modo, sed & vobismetipsis applicate. Considerate vero non verba modo & nomina, sed & pronomina illa, TV MIHI summa consideratione digna, eaque ratione humiliamini in conspectu Dei. O quam miram, & inexplicabilem consolationem sentietis, si id rectè facietis, eam vero spes viua, quæ ex viua, & humili oratione, meditatione, contemplatione provenire solet sequetur. Quid vero ad hæc Petri dicta Christus?

II. Doctr. pronomina TV ET EGO serio meditanda,

RESPONDIT IESVS, ET DIXIT EI, sapi- *Christi re-*
entissimè, humilimè, mansuetissimè. *sponsum sa-*
pientissimè

QVOD EGO FACIO TV NESCIS MODO.
Neque enim reuelatum est tibi vt illud prius
de mea diuinitate à Patre meo tibi manife-
statum fuit : neque ingenium & iudicium
tuum ad inuestigandam, & inueniendam
tantæ humiliationis causam pertinere po-
test.

SCIES AVTEM POSTEA. Id vero quan- *Quando*
do factum est? Tum quando peracta ablu- *Petrus id*
tione inquit IESVS, EXEMPLVM DEDI VO- *cognouerit*
BIS VT QVEMADMODVM EGO FECI VO- *mysterij?*
BIS ITA ET VOS FACIATIS, tum post ac-
ceptum Spiritum sanctum, quando omnia
mysteria Petrus plenè intellexit. Cæterum
contemplamini quæso vna mecum, quo-
modo Christus Iesus vti erat flexis ante Pe-
trum genibus eleuauerit vultum suum ob-
tutusque suos sanctissimos in faciem Petri
fixerit, illa quæ audiimus verba promen-
do. Quid igitur mirum si tali situ corpo-
ris permouerit Petrum, & ad ponderandum
diligentius illud suum, TV MIHI, & ad
persistendum, in suscepta sententia? Qua-
propter,

DICIT EI PETRVS, Prostriciens se ex *Petri ser-*
sede, vel lecto vt creditu est verisimile & ex- *uor & cau-*
clamans. *sa.*

NON LAVABIS MIHI PEDES IN ÆTER- *A simili*
NVM. *minori.*

NVM. Magnus feruor quamuis sine vera scientia, non tamen sine magna causa. Si enim Ioan. Bapt. ex humilitate lauare Iesum refugio: quid mirum Petrū propter eandem ablui à Christo detrectasse; & ablui secundū pedes? Inculpabilis ergo resistentia quæ ex fide, humilitate, reuerentia, & charitate prodebat. Qualem etiam habuerunt Moyses, & Ieremias Deo ex eadem humilitate repugnantes. Porro IN ÆTERNVM, inquit Petrus. Hoc quippe in æternum non fit, quod nunquam fit ait Aug. Quamuis vero Petrus credendus sit nihil hac in parte peccasse, nihilominus.

Christus adhibet Petro medicinam efficacem.

RESPONDIT EI IESVS, acrius illum terrēs. Sciebat enim Saluator quantum hæc nimia constantia, & feruor obesse Petro debuerat, ea ipsa nocte, qua post tot constantis animi attestaciones ter eum negauit. Itaq; Christus Iesus, tanquā & medicus peritissimus, & pater pietissimus laboranti filio morbo graui commodam adhibet medicinam dicens.

SI NON LAVERO TE. Ea etiam externa quam peragere institui pedum ablutione.

Ne peccet in posterū.

NON HABEBIS PARTEM MECVM. Parte inquit carebis mecum in regno cælorum. Quid tantumne hoc scelus fuit, vt morte æterna esset puniendum? Iam dixi, Petrum in his nō peccasse. At fortè aliud peccatū mortiferum habuit quod ista pedum ablutione auferri

auferri debuit? Minimè. Caruisse enim Petrū
 eiusmodi peccato verba Christi sequētia sa-
 tis declarant. Sed & nos docuimus lotionem
 pedum Sacramentum non fuisse. Quid ergo
 sibi hæc Christi verba volunt? Volunt non
 præteritū peccatum corrigere, sed futurum
 cohibere, & ne peccet præcauere. Nisi. n. Pe-
 trus Christo in virtute sanctæ obedientiæ (vt
 phrasi Ecclesiæ & religiosi consuetæ, cuius
 hoc quoq; est fundamentū, vtar) præcipiēti
 obtemperasset, peccasset procul dubio. Sic S.
 Patres præsertim Basilius qui merito & mi-
 ratur, & terret nos hoc dicto Christi. Si. n. a-
 nimus iste Petri quāuis ex humilitate & cha-
 ritate proficisceretur, tanta pœna castigā-
 dus fuisset, quāta est priuari visione Dei propter
 solam inobedientiam. Quas putatis pœnas
 luent nō solum qui ex malitia (quod omniū
 est pessimum) sed etiam qui aut ex concupi-
 scētia mala, aut ex iudicio suo puerse obedi-
 re nolunt mandatis Dei? Notent hæc tum o-
 mnes Christiani respectu præceptorum Dei
 & Ecclesiæ: tum religiosi, & horum & supe-
 riorum suorum aspectu. Et notando omnes
 perhorrescant, ac præteritas quidem inobe-
 dientias pœnitentia castigent, ne vero in
 posterum relabantur caueant, & cæcè obe-
 diant. En exemplum. Nam.

DICIT EI PETRVS, respōdens Chri-
 sto ad tā seueram cōminationē & efficacissi-
 mam medicinam. O quā bene scit Christus
 nostrum

*Præceptum
 in virtute
 sanctæ obe-
 dientiæ &
 terriorem
 NOT. A.
 Bas. in orat.
 de peccat.
 12. Doctr.
 obedientiæ
 sub peccato.*

Ei cæcæ

*Exempla
 Petri.
 Christi st-
 penda san-
 pientia.*

13. Doctr.
omnia per-
denda ne
perdas Chri-
stum.

14. Doctr.
Amare
tangi à
Christo.

Difficultas
è dilectate.

Solutio o-
bedientia
qua iterum
commen-
datur.

Greg lib. 35
Moral. c. 10.
1. Ab ex-
cellentia

nostrum vlcus tangere, sicut hic tetigit Pe-
tri, quem nouerat nihil antiquius habere,
quam cum Christo esse! Proinde hoc illi
minatur eripere, ne eripiat. O bonitas. O sa-
pientia. Nos hinc duo discimus. Alterum
vt animum Petri habeamus omnia potius
perdendi quam Christum. O aurea doctri-
na ruminanda & obseruanda noctu, & in
terdiu non solum nunc, sed etiam post Pa-
scha, & toto vitæ nostræ tempore. Alterum
vt nos permittamus quoque tangi, & medi-
cinam quæ nobis exhibetur vtraque manu
amplectamur, & quod vult Christus exe-
quamur, vt fecit Petrus dicens;

DOMINE NON TANTVM PEDES MEOS,
quod te desiderare video.

SED ET MANVS ET CAPVT, & totum
corpus abluere, si tibi placet, dum modo tuo
non priuer consortio. O Petre quid hoc rei?
Tam ne cito illud tuum ÆTERNVM transiit?
Quid vero causæ? Nam vel bonum fuit
quod antea dixeras vel malum. Si malū: hu-
militas igitur quæ in hoc actu lotionis pe-
dum tantopere à Christo commendatur
mala erit. Si bonum, cur & à te deseritur, & à
Christo reprobatur! Propter obedientiam
dilectissimi, propter obedientiam. Nam te-
ste D. Gregorio [Obedientia sola virtus est,
quæ virtutes cæteras menti inserit insertas-
que custodit] sicut fieri in dictis Christi, &
Petri

Petri euidenter vides. Si enim obedientia abfuiſſet à Petro etiam humilitas fugiſſet. Hanc igitur qua poſſum animi & vocis contentioneſ iterum iterumq; vobis commendo, tanquam rem apprime ad ſalutem neceſſariam. Hæc enim Catholicum ab hæretico & ſchiſmatico ſecernit, hæc abſente cætera placere non poſſant Deo: Vultis exempla! Tria accipite ex omni lege. Quid enim in lege naturæ, imo innocentia primis noſtris parentibus, bonum pomum malum eſt fecit? Inobedientia. Quid in lege ſcripta facrificium, rem alias iure naturæ optimam in Saule primo Iudæorum rege Deo abominabile reddidit? Inobedientia. Denique ſi in hæc Petrus hodie perſitiſſet, cum ſuis illis humilitatis, & reuerentiæ actibus, omnino periſſet. Auditisne iſta qui hæc quadrageſima nondum conſeſſi eſtis? Audimus inquitis, ſed nihil timemus. Tanto peius quod nec Deum timetis, nec homines reueremini. Quid timeamus cum non Dei, ſed Eccleſiæ id ſit præceptum? An non præcepit Chriſtus Deus obedire Eccleſiæ? Quod hic eo ſtrictius facere tenemini, quo præceptū hoc magis quam cætera fundatur in mandato Chriſti. Is enim ait, *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem non habebitis vitam in vobis, quod ſaltē ſemel in anno cum præparationibus & probationibus,*

2. A neceſſitate.

Gen. 3. 6.
3. Ab exemplis in omni lege.
1. Reg. 15. 22.

Inculcatur non conſeſſis.
Mat. 18. 18
4. Ratione præcepti.

Ioan. 6. 54

nibus quas D. Paulus docet (contritione
videlicet, & confessione, vt eadem Eccle-
sia interpretatur) esse faciendum denun-
tiat vobis sponsa Christi. Obedite igitur cum
Petro vt spem salutis obtineatis cum Petro.
Nam.

Et spei.

DICIT EI IESVS, Obedientia hac Petri
mirificè delectatus. Vix enim est quicquam
quod ita lætificet Christum Iesum quam o-
pus puræ & sinceræ obedientiæ. Ait au-
tem.

*¶ Quia læ-
tificat Chri-
stum.*

*Simile
Christi.*

QVI LOTVS EST. Similitudinem accipit
ab ijs qui in balneis loti, totum corpus mun-
dum habentes pedes tantum à terra, iterum
maculatos abluunt. Ideo subdit.

*Translatiō
ad Euchar.*

NON INDIGET NISI VT PEDES LAVET.
Transfertq; hanc extimam munditatem, ad
internam & spiritualement, qua animas eorum
præparabat ad munda mundè suscipienda,
id est ad Sacramentum Eucharistiæ. Quam
primariam fuisse intentionem Christi in hac
pedum ablutione, volunt quidam. Id tamen
munditiæ spiritualis quicquid erat ex ope-
re quod vocamus operato, huic tantum lo-
tioni quam Christus exercuit tribuendum
est, non verò alijs, licet secus quidam Patrum
fenserint de quibus iam diximus. Porro
cum addit.

*Differentia
inter Chri-
sti, & alio-
rum lotiones.*

SED EST MVNDVS TOTVS persistit in allata
similitudine vt explanauimus. Et iam cla-
rius

rius applicat suo proposito ac Apostolis. Ait enim.

ET VOS MVNDI ESTIS. Mundati vt vult D. Augustinus per baptismum, cuius tum Petrus tum alij Apostoli participes iam effecti erant. Et iisdem verbis clarè denotatur quod superius annotauimus, tum lotionem pedum non ob culpam lætalem tollendam institutam fuisse: tum Petrum omnino ea id temporis caruisse. Dices. Quid ergo lotione ista pedum à Christo abluetur? Peccata inquam venialia. Hęc enim vt bene idem Augustinus ait munditiem spiritualem animæ non quidem auferunt; obscurant tamen aliquantulum, & quasi pulueribus opulent. Cæterum propter Iudam Iscariotem adiungit Christus.

SED NON OMNES. Quam exceptionem non attulit inferius alloquens eisdem Apostolos sed simpliciter ait. *Iam vos mundi estis.* Quia iam Iudas discesserat vt idem Ioannes testatur. Iudam tamen lotioni pedum interfuisse hinc clarissimum euadit contra quosdam contrarium sentientes. Afferit autem Christus non esse mundum Iudam, quia post baptismum, furto, prodicione, & alijs sceleribus animam suam conspurcauerat. Nec verò quis ex hac dicto Christi suspicetur aliquos alios Apostolos fuisse obstrictos culpa mortali addit Diuus, Ioannes.

SCIE-

*Mundi à
postoli per
baptisma.
Aug. Epist.
108. ad Se-
lene.
Loto hac
Venialia
tollebat.*

*Iudas ex-
cipitur, quò
certo adfuit
Ioan. 5. 2.
Ioan. 13. 30.*

*Cur Christi
Iudam
non nomi-
nat.*

*15. Doctr.
persona
iiosa non
manserit
standa.
NOTA.
Frequen-
tissimum
Suum.*

*Nonnun-
quam ex
pura leuitate
origo
eius.*

*Pana-
plex.
Æterna
gravissima.
Luc. 16, 24.*

SCIEBAT ENIM QVISNAM ESSET QUI TRADERET EVM, Iudam intelligens. Quem tamen Christus non nominat, non solum ne quid mali pateretur ab alijs Apostolis, sed etiam ne occultū peccatum alterius alijs manifestaret. Doctrina & dicta alias, & sapius inculcanda. Quia aut non intelligitur aut contemnitur. Primum mihi persuadere non possum. Claris enim verbis non semel, sed sapius contestor, occulta peccata aliena alijs pandenda non esse: Cuius tamen contrarium tam est nobis familiare, ut nihil supra. Non solum in tali casu qualis hic fuit Christi domini, nempe cum res nostra agitur, cum nobis inferatur iniuria, tunc enim absque vllō scrupulo plenis buccis clamoribus & querelis implemus omnia & personam alijs incognitam prodentes, & multa quæ sola suspicione tenemus adiungentes. Non solum inquam in tali casu, de quo in prima concione pluribus egimus; sed etiam ex pura leuitate & pessima cōsuetudine, qua turpe ducimus tacere dum alij loquuntur. Proinde cū boni quid, quod dicamus non suppetit, mala & peccata aliena vtrō citroq; referimus, & facile effutimus, quod postea difficile postea abluimus etiam in hac vita quanto vero seuerius in illa? O si videres quanta tum diues ille epulo, tum alij propter hæc maledicta linguæ vitia in inferno patian-

patiantur, opinor quod aliter te quam geris
gereres, ne deuenires in illum *locum tormen-*
torum. Sed nonne Christianus es? Sum in-
quis. Crede ergo ijs, quæ non vides, & quæ
tibi credenda tum scriptura, tum fides Ca-
tholica proponit. Et credendo viuere chri-
stianè Chrstum hic quoque imitando qui
proditorum suum non manifestauit, licet i-
pse proditor principibus Sacrdotum iam se
prodidisset, & pactum emptionis ac vendi-
tionis iam cum eis fecisset. O doctrina dig-
na quæ cum aureis litteris in charta: tum
diuino spiritu in corde conscribatur: tum
vero & per quã diligenter executioni man-
detur. Sed ad Euangelium redeamus. Cum
ergo Ioannes enarrasset de quo verba illa
Christus intellexisset, subnectit.

Ibid. §. 28.

*Ideo fugi-
endum vi-
tium exem-
plo Christi.*

PROPTEREA DIXIT videlicet Chri-
stus Iesus.

NON ESTIS MVNDI OMNES. Ra-
ro tam exactè rem describere solet noster Io-
annes. Idcirco hoc quoque non carere my-
sterio credendum est, quod vobis meditan-
dum relinquo. Sequitur.

POSTQVAM ERGO LAVIT PE-
DES EORVM. Præmissò humilitatis ex-
emplo, antequam ad vltiora procederet
de quibus differemus in sequenti concione:

ACCEPIT VESTIMENTA SVA.
Pallium quod deposuerat relumens.

Qq

ET

16. Doctr.
duplex le-
uitas fugi-
enda; ordo
secundus.

ET CVM RECUBVISSET ITE-
RVM: Quam grauiterin omnibus segerit!
Tum vt leuitatem nostram matrem incon-
stantiæ, & multorum vitiorum comprimat:
Tum vt ordinem quo in rebus omnibus
nihil est pulchrius doceat. Doceri igitur nos
patiamur.

Ex Christi
Exemplo.
Act. 1. 1.

DIXIT EIS. Nempe vt impleretur
quod postea Lucas de illo scriptum reliquit
dicens. *Cœpit Iesus facere & docere.* Prius er-
go facit, & opere ipso quid sit agendum
monstrauit, postea verbis quæ sequuntur
idipsum docuit. O beati qui eiusmodi ab-
undant præceptoribus. Nec minus beati,

17. Doctr.
prius opere
quam ver-
bis docendū
Spes inde
pastoribus
& gregi.
Apo. 14. 13.

qui cum præceptores: tum verò præceptorū
præceptorem Christum imitatur, prius bo-
na agentes quam verbo docentes. Quam
pulchra spes vtrinque tam gregi videlicet,
quam pastoribus in ijs, qui eiusmodi sunt
fulgebit aliquando? His enim illud prophe-
tæ noui Testamenti in primis competit. *Be-*

Finis spes
requies.

*ati mortui qui in domino moriuntur; amodo iam
dicit Spiritus vt requiescant à laboribus suis. O-
pera enim illorum sequuntur illos: Vbi duo
nota: alterum finem spei: qui non est alius
quam requies à laboribus, quæ quidem in
bonis operibus perseuerantes nunquam
fallet: alterum non verborum, sed operum
meminisse Prophetam. Quid causæ? Non-
ne quibusdam etiam ex officio competit, a-*
lios

Operum
prius a men-
tibus
de ca. usis.

ios verbo ædificare? de quorum numero e-
erat ille qui dicebat. *Væ enim mihi est si non* *1. Cor. 9. 16.*
Euan geliz auero? Ita fanè: attamen operum
tantum meminit, tum quod hæc ab omni-
bus requirantur: tum quod facta prima-
riam habeant remunerationem: tum quod
si hæc deerint, verba parum valebunt, imo
nocebant plurimum. *1. Cor. 5. 17.* Et vero si vtrum-
que coniunxeris duplici honore, teste Pau-
lo, dignus eris. Verum memineris eius quod
iam tractamus nempe prius piis operibus,
deinde sermonibus docendum esse exem-
plo Christi, quem iam audiamus.

SCITIS QUID FECERIM VO-
BIS? inquit ille, vt tum ad considerandum
mysterium, quod Petrus non intellexerat,
tum ad percipiendum scopum suum Apo-
stolos incitaret. Et adiungit.

VOS VOCATIS ME MAGI-
STER ET DOMINE Hebraismus
est pro vocatis me magistrum, & dominum,
vbi iterum recurrūt pronomina VOS ME
contemplationis plena: Ait autem VOS, vt
ex ipsorummet confessione fortius persua-
deat quod intendit, adiungitque.

ET BENE DICITIS: dicta Apo-
stolorum, tanquam verissima approbans.
Insuper subdit.

SVM ETENIM. Quod non arrogan-
tia, sed charitati est tribuendum. Nam præ-
terquam

*Christi sin-
gula Verba
pòdus habet*

*18. Doctr.
Cautè de
nostris reb:
loquens.*

terquam quod in Christum neque arrogan-
tia, neque vllum vitium cadere potuerit. do-
cet nos facto isto licere nobis de nobismet
ea quæ honoris sunt loqui aliquando : sed
valde cautè. Vis regulam ne erres? Ea est no-
tatu sanè digna. Cōsideres quæ utilitas pro-
uentura sit è locutione tua. Et si quidem a-
nimaduertes nihil inde præter tuum hono-
rem fructus oriri, tacendè omnino est. Si ve-
ro proximi hinc aliquod emolumentum re-
sultaturum speratur, loqui poteris, cum ea
tamen qua par est, & modestia ac modera-
tione, & cordis interna submissione. Exem-
pla habes cum Apostoli Pauli, tum ipsius
Christi. Pauli quidem qui postquam longū
catalogum operum suorū texuisset subdit.
*Factus sum insipiens vos, me coegistis, ego enim à
vobis debui commendari.* Cur vero id egerit af-
signauit causā paulo superius dicēs; *Non iterū
commendamus nos vobis, id est, non nostrum
cōmodum, vel honoris prærogatiuam hinc
quærimus; Sed occasionem damus vobis glori-
andi pro nobis: vt habeatis ad eos qui in facie
gloriantur & non in corde. Quam pulchra do-
ctrina quomodo nos hac in parte gerere o-
porteat. Primo vt inuiti, & non nisi necessi-
tate coacti id agamus. Secundo vt hoc pro
insipientia habeamus & reputemus. Terrio
vt iuxta regulam datam aliorum utilitatem,
non nostram inde quæramus. Hæc Paulus.
Chri-*

*Regulam
NOTA.*

*Exempla.
1. Paul.
Apost.*

*2. Cor. 11.
Ej 12. cap.
2. Cor. 5, 12*

Christus vero quid? Intueamur quæso perfectissimam huius rei tum alibi: tum in dictis hisce quæ premanibus habemus ideam: Audi quomodo dicta factaq; ista in bonum Apostolorum deriuat vniuersa. Ait enim.

SI ERGO EGO LAVI PEDES VESTROS. Si infimum hoc vobis præstiti mysterium licet sim

DOMINVS ET MAGISTER VESTER. Sicut me talem vocatis, & ex consequenti p̄ discipulis, & seruis meis vos reputatis. Profecto.

ET VOS, qui serui & discipuli estis.

DEBETIS ALTER ALTERIVS conferuis videlicet & condiscipulis vestris.

LAVARE PEDES, officia etiam vilissima exhibere. Argumentum vt videtis fortissimè currit à minori ad maius. Si enim ego inquit Christus laui pedes vestros, cui id agere minimè conueniens videbatur, quanto magis vos, quibus hoc maximè competit id ipsum aliis præstare, DEBETIS?

Dicat quis fortasse, si debemus est igitur huic rei faciendæ aliqua obligatio. Iam dixi in præcedenti concione, & copiosè deduxi, quid hac in parte factò sit opus. Summa dictorum est. Obligationem talem esse qualem nobis Ecclesia dictorum factorumque Christi fida interpretis proponit. Ea vero quia nec Sacramentum vllum, nec sacramē-

Qq 3 tale

*2. Christi in
Euangelio.*

*Argum. à
minori for-
tissimum.*

*Ad quid
seruis hisce
Christi obli-
gamur.*

NOTA.

1
 1. *Cor. 11. 28.*
 29. *Doctr. exercenda etiam ipsa pedum ablutio cū corporalis qua placet. 1. Ecclesia. 2. Angelis. Gen. 18. 4. 3. D. Paulo. 1. Tim. 5. 10.*
Tum spiri- tualis du- plex. Col. 3. 13.
 30. *Ro. 12. 10.*

tale quid in his verbis agnoscit, proinde nulla huiusmodi hic erit obligatio. Agnoscit autem exigi hic humilitatem, charitatem, & ad Sacramentum Eucharistiæ percipiendum solertem præparationem, iuxta illud Apostoli Pauli. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Id igitur est procurandum: qua de re in sequenti concione agemus pluribus. Denique commendat nobis opera pietatis & humilitatis, ita ut si necessum esset etiam tale quid facere in animo nostro parati simus. Idcirco hac ipsa die in multis ecclesiis superiores inferioribus. (Summus Pontifex etiam peregrinis) pedes abluere consueverunt: tum ad memoriam tanti facti Christi Iesu: tum ad exemplum. Nam id operis, & in veteri & in nouo Testamento placuit Deo. Id enim exhibuit Abraham angelis ipsis consentientibus & dicentibus *Fac ut locutus es.* Id laudat D. Paulus in vidua. Id etiam nobis facitandum est. Secundum corpus quidem nonnunquam, prout alicui sua suggererit deuotio: Spirituali vero modo semper: tum illo de quo D. Paulus, *supportantes inuicem & donantes vobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam.* Pulchra alienorum pedum, & defectuum ablutio, & omnibus omnino necessaria. Tum illo alio modo, de quo idem alibi, *Honore inuicem præuenientes.*
 Verum

Verum videndum est vt sincerè & non fu-
 catè id fiat, sicut idem monet dicens: *In hu-*
militate (audis humilitatis nō aulicisimī mē-
tionem?) superiores sibi inuicem arbitantes.
 Displicet enim Deo assentationis plena sub-
 missio. Ista igitur fugienda illæ vero procu-
 randæ ab omnibus quicunq; spem remissio-
 nis peccatorum hoc sacro condonationis
 tempore acquirere volunt, prout velle de-
 bent vniuersi. Sed iam extrema Euangelij
 verba percurramus.

*20. Doctr.
Honor sit
sine adu-
latione.
Psal. 1. 3.*

EXEMPLVM ENIM DEDI VO-
 BIS, inquit Saluator. Particula ENIM pri-
 ora posterioribus coniungens, & scopum
 suum primarium denotans.

VT QVEM ADMODVM EGO
 FECI VOBIS, Quæ verba tum ad lotionē
 pedum, tum ad omnia alia quæ diximus, &
 explicauimus sunt referenda.

ITA ET VOS FACIATIS. De *Transitio
ad tropolog.*
 Epilogo isto, quia in præcedenti concio-
 ne multis egimus, ideo nunc id tantum
 quod superius insinuauimus explanandum
 indeque & doctrinæ morales colligendæ, &
 viua spes in nobis erigenda erit. Qua re-
 cum literæ quantum in nobis fuit satisfec-
 erimus ad tropologiam nos conuertamus,
 & audientes Christum dicentem FACIA-
 TIS interrogemus cū Paulo quid nos velit
 facere? & respondebit q̄ EGO FECI, ITA

Qq 4

ET

Act. 9. 6.

ET VOS FACIATIS. Attendamus igitur & meditemur quid nam sit istud. Id vero describit nobis Euangelium, nempe quod,

*21. Doctr.**Procedendum in scripturis.*

Principio SVRGIT A COENA. Hoc initium est et porta ad omnia bona valetque tum pro incipientibus, imo incipere volentibus, tum pro progredientibus. Pro his quidem simpliciter ut sicut Christus à cœna sua bona quidem sed imperfecta quia veteris legis surrexit, tum ut perficeret Apostolos & efficeret ex mundis mūdiores; tum ut institueret cœnam perfectissimam novi Testamenti, ita illi dare operam debent ut ab imperfectionibus suis surgentes cum Paulo, ad ea quæ sunt priora se extendant. Pro incipientibus vero quadantenus idem valet,

*Phil. 3. 13.**22. Doctr.**Pro incipientibus. Cessandum à peccatis.**Luc. 16. 19.*

nēpe ut sicut Christus SVRGIT A COENA SVA sanctissima, ita illi surgant à cœna sua nefaria. Omnino enim necessarium est si servire volunt Christo ut primum deserant alij quidem cœnas suas lautas, in quibus quotidie ebrietates, ingluviem, detractiones & similia cum illo perduto epulone fouent & nutriunt: alij odia, rancores, percussiones, homicidia: alij stupra, adulteria, fornicationes: alij rapinas, furta, vsuras & omnia quibus offenditur Deus. Nisi enim id agant frustra de vltioribus cogitant: & de spe mortua sibi applaudunt. Bona vero spes aderit cum illud Apostoli monitū adfuerit,

Surge

Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. *Eph. 3. 14.* Procurandum igitur est ante omnia vt à peccatis cessetur.

Secundo Christus, **PONIT VESTIMENTA SVA.** Tu quoque depone tua. Per vestimēta tua intelligo excusationes de peccatis. Et merito. Quæ enim est origo vestimentorum? Non alia quā excusatio hæc. Sicut enim peccatum Adæ & Eux: nuditas: ita de iis excusationē vestes subsecutæ sunt. *23. Doctr. Abstinentium ab excusationib.* Lege principium Genes. & rem ita se habere reperies. Quicumq; ergo vis spem bonam habere in Christo depone excusationes quæ displicent Christo, & arripe accusationes: quas fideliter exequere: tum coram Deo, tum in aurem eius, quam loco sui reliquit tibi Christus Iesus. His peractis procede ulterius, & sicut, *Gen. 3. 11. Hinc enim Vestes.*

Tertio Christus, **CVM ACCEPISSET LINTEVM PRÆCINXIT SE,** ita tu quoque fac similiter, Sicut & ipse & Vicarius te docuit. Christus quidem cum inquit, *24. Doctr. Virtutibus Christianis studendum.* *Luc. 12. 35. 1. Pet. 1. 13.* *sint lumbi vestri præcincti,* Petrus vero *succincti lumbos mentis vestræ.* Id vero fit castimonia, sobrietate, mansuetudine, humilitate, patientia, & vt verbo dicam omnibus Christianis virtutibus, quibus & corpus nostrū passionēque eius stringimus, ne ad illicita diffluant: & in mentem coarctamus, ne iudicio proprio à vero iudicio aberret foedissimè. O pulchrū spei firmamentū! Qq 5 Quar-

25. Doctr.
cognitio sui.

In aqua &
pelus figu-
rata.

Hinc pri-
maria spei
columna.

26. Doctr.
operibus mi-
sericordia
vacandum.
Mat. 23. 25

Quarto Christus, MISIT AQVAM IN PELVIM, Duo hic videmus, aquam videlicet & peluim. Quorum vtrumq; nonne metacente aliquod mētibus vestris ingerit mysterium? Nec aliud aptius quam cognitionē sui. Nostis enim tam in pelui, quam in aqua vultum proprium relucere. Transfer hæc ad animum, & habebis rem etiam ab iis qui solo lumine naturali tegebantur valde commendatam. Vnde illud adagium antiquorū, [Nosce teipsum.] Quanto vero magis à Christianis qui in humilitate fundati sunt, id obseruandum erit? Hoc ipsum innuit nobis sapientia patris Christus Iesus, hac sua aqua & pelui. Porro si id habuerimus orietur in mentibus nostris primaria illa sanctæ spei columna, quæ in eo consistit vt intuentes vilitatem, & vt ita dicam nihilitatem nostram, viribus nostris penitus penitusque diffisi omnem spem in auxilio diuino collocemus nostram.

Quinto Christus, COEPIT LAVARE PEDES DISCIPVLORVM, ita tu saltem spiritualiter laua pedes proximorū tum opera misericordiæ exercendo qualibus regnum cælorum promittit qui non mentitur Iesus: tum defectus eorū excusando: Nam & hoc ad opera misericordiæ spiritualia pertinet. Verū cautè id agas velim. Quam ad rem vltima actio Christi plurimum conducit. Is. n.

Sexto

Sexto lotos pedes cœpit, **EXTERGERE LINTEO QVO ERAT PRÆCINCTVS.** Quid hic mysterij? Illud inter alia vt sicut qui præcinctus est linteo omnes quidem lordes pedum alienorum Linteo excipit: vestes tamen suas immaculas conseruat: ita nos defectus, & peccata aliena sic excusare iisq; condescendere debemus, vt tamen conscientiam nostram puram semper conseruemus. Doctrina cum omnibus: tum cōfessariis perneccessaria. His quidem ne dum aliorum extergere volunt conscientias suas scdè alienis repliant sordibus, quod sit quando aut doctrina sufficenti carētes, aut respectibus humanis, & immisericordi misericordia abundantes absolvunt illos qui in statu peccati mortiferi sunt cōstituti. Omnibus vero hic instructio datur, ne aut nimia coniuuentia, aut adulatione, aut leuitate, aut his similibus modis, & respectibus, ita aliorū defectus extenuent, vt eos in suis confirmet erroribus aut peccatis. Etenim pecuniarum quidem, opū, laborum, & aliorum bonorum tam externorum, quā corporis nostri damnum pati possumus propter bonū proximorum. Hæc. n. sunt quasi linteamina quædā extra nos posita, at vero illorum, quæ ad animam spectant eiq; tanquā vestis corpori adhærent detrimētum ob cōmodum proximi nullo modo pati debemus ipso arbitro Christo Iesu. *Mat. 16. 26*

Con-

*27. Doctrina
viciis alio-
rum non
communi-
candum.*

*Confessariis
perne-
cessaria.*

*Causa à
priori.*

*Conclusio
proxi-
ma
spe erigen-
da per simi-
litudinem.*
NOTA.

Concludamus ad spem viam & veram in nobis magis magisque erigendam concionem hac similitudine. Quemadmodum illi, qui in certissimo naufragio sunt constituti etsi nullis parcant laboribus, sed remis velisque contendat ut ad portum peruenire queant. Videntes tum omnem suum laborem huic rei imparem esse, in socijs si quos conspexerint qui eos iuuare possunt, quosque ut id faciant rogant omnem salutis suae spem collocant: ita nos in tot, tantis quae recensuimus, alijsque innumeris periculis collocati agamus quidem totis viribus ut & pie viam? & vnusquisque officio iuxta diuinam voluntatem respondeat suo: nihilominus ac si nihil ageremus totam fiduciam nostram in eum projiciamus, qui & potest & vult nos ex omnibus malis, tribulationibus, tentationibus & periculis eripere. Potest quia ut audis in Euangelio, OMNIA DEDIT EI PATER IN MANVS. Vult quia diligit suos & IN FINEM DILIGET EOS. Illi igitur confidamus, hunc inuocemus, & totam spem collocemus in Christum Iesum dominum nostrum qui cum patre in unitate Spiritus sancti viuit & regnat Deus in aeternum. Amen.

* * *

CON-



CONCIO IV. THESAURI.

CHARITAS.

COENÆ ultimæ quam Christus Iesus Cena bo-
 dominus noster in mortali constitutus dierna.
 corpore habuit cum Apostolis suis hodie
 memoriam agimus dilectissimi. Cœnæ &
 variæ & excellentissimæ & mirandæ ad stu-
 pore[m] usque. Variæ quia ni ego fallor in Tum Vari-
 quatuor fuit distributa partes, vel cœnas etas, est ce-
 potius. Prima erat Legalis, in qua agnum nim qua-
 Paschalem more Iudæis consueto mandu- druplex.
 cavit. Secunda Sacramentalis, in qua Eu-
 charistiæ Sacramentum sub specie panis in-
 stituit discipulisque distribuit. Tertia com-
 munitatis, communia habens fercula. Postre-
 mam rectè fortè nouam dixerimus quando
Postquam cœnauit nouum nouæ nouæ legis
sacrificium perfecit. Quam verò præclara ac Tum dig-
 miranda ea fuerit vel hinc euidenter patet: nitas.
 quod institutor eius Deus sit, distributor
 Deus, conuiua inter alios ipse quoque De-
 us, ferculum idem Deus. Quis vel menteta-
 lia agitare vnquam potuisset? Cæterum
 quia cœnam istam post aliquot horas mors
 non

non incognita sed bene nota : non inuoluntaria sed vltro accersita subsequi debuit : voluit Christus Iesus filius Dei etiam testamento eam condecorare. Quae de re quamuis in praecedenti concione multa dicta fuerint poterimus tamen etiam in hac si non in alia alio saltem modo & ratione eadem contemplari, pro commodo nostro.

*PROP.
Quadri-
membris.*

Quare considerabimus in primis hodie quosnam thesauros nobis Christus Dominus testamento suo legauerit : deinde quam ij sint excellentes : tum quam ratione illi relictis nobis fuerint, vbi etiam seriem quadruplicis illius cenae per modum historiae contexamus : postremo quam gratos nos esse deceat demonstrabimus. Da Saluator noster Christe Iesu, ita vt faciamus, vt cenae illius coelestis cuius hodie pignus accepimus participes te duce effici mereamur.

*I. MEMB.
thesauri.
T. Aulerius.
Historia de
viro perfecto licet iuxta
mūdum
misero.
1. Cor. 2. 5.*

Memoriae traditum est virum quendam, & religione & doctrina, & concionandi munere conspicuum summopere desiderasse ac à Deo praepotenti precibus maximis efflagitasse, vt illi hominem qui in hac peregrinatione haberi posset perfectus, qualem vt reor diuus Paulus describit dicens; *Sapientiam autem loquimur inter perfectos demonstrare vellet.* Cumque quadam die in hac petitione diutius perseveraret, vocem
sue

siue internam, siue externam audire sibi
 visus est, vt illum ad valuas templi quaereret. Proripit se religiosus ille & inuenit
 hominem simplicem, pauperem, pannosum, hirsutum, nudo capite, & poplite, ad
 cuius intuitum exhorrescens, & addubitans an is esset quem quaereret, salutat tandem eum more Germanorum (vbi hæc acta sunt) antiquo, & ab ethnicis vt arbitrator assumpto fortunam illi bonam optans. *Perfectionis tres gradus.*
 Cui ille. Fortuna se nulla indigere cum nullo lum pateretur infortuniu respondit. Ac demiranti & sciscitanti doctore quidnam hoc responsi esset, ait. Ego enim didici cum Deo meo, & Christo Iesu ambulare meamq; voluntate voluntati ipsius in omnibus conformare. *1. Conformare se diuinae voluntati in omnibus.*
 Ex quo fit vt siue serenum sit coelum siue pluat, ningat, grandinet, æquè gratias agam Deo, siue famem, sitim, morbū, aliudue quicquam incommodi patiar, siue è contrario sanitate, rerū omnium abundantia, & viribus polleam æquè gratias agā Deo: deniq; siue diuinis cōsolationibus affluam, siue desolationibus, & tentationibus agiter, æquè gratias agam Deo: ac proinde quidnā sit infortunium penitus ignorem. Ad responsum huiusmodi stupens doctor scire voluit cuius vel quisnam esset. Rex sum, inquit ille, *2. Regē esse.*
 Ac subridenti & percunctanti, qui homo tam miser, & lacer rex esse posset, ait: Subieci enim

enim per diuinam gratiam mihi omnes sensus passiones & affectiones meas, quibus libere uti possū, easque ita subiugavi, ut absque imperio rationis nihil ex ijs moueatur. Quod quidem regnandi genus ego ipsis etiam Monarchijs præfero. Et meritò sanè. Nam teste Spiritu sancto *Melior est patiens viro forti et qui dominatur animo suo expugnatore urbium.* Si ergo iste rex vocatur cur non & ille? Nec abnuat doctor. Nam & ipse tale regnum in votis habuit. Cuius utinam nos saltem qui ad perfectionem tendimus participes esse valeamus, vel velimus potius: si enim serio vellemus valeremus Deo gratiam ultro dante imo & offerente nobis.

Denique doctor ille vel confundi se videntis, vel quod (ut nonnunquam talibus accidere solet) id animum eius sollicitum redderet, vel ex dictis ipsius de cōformitate voluntatis cum diuina occasione arrepta, proposuit illi quæstionem sane perdifficilem interrogans eum: Quidnam ageret si Christus illum reprobare, & orco tradere vellet? Ad quod simplex ille expedite: Quæris quid tum agerem! traderem me inquit voluntati Dei, qui sicut me creauit, quādo, & quomodo voluit, ita liberum est ei de me prout vult disponere. Et subiunxit. At scias domine Doctor, esse mihi duas manus, sinistrā quidem profundæ humilitatis, dextram vero feruentis

*Conforme
id script.
Prou. 16. 31*

*Religiosis
Salde com-
mendatur.*

*Quæstio
quæ multos
inepte tor-
quet.*

*3. Humili-
tate & cha-
ritate strin-
gere Chri-
stum.*

feruentis charitatis, quarum illa quidē humanitatem, hac verò diuinitatem Christi tā strictē complexus sum, vt si me in infernum præcipitare vellet, ipse eo vna mecum descendere deberet, quod si fieret, mallet ego & eligerem potius in inferno cum Christo, quam in cælo sine Christo reperiri. Audisne?

Quorsum ista inquis? Triplici de causa. *Triplex pro-
lata histo-
ria causa.
1. Imitatio.
2. Instructio*
Primò vt me meique similes imo omnes ad viam perfectionis & cognoscendam & capescendam incitem. Deinde vt demonstrum quomodo Deus viros doctos ingenio suo nimium fidentes ac sciolos nonnunquam per homines simplices, & confundere & docere consueuerit: Nostis enim & illam de doctore quodam quem carbonarius instruxit, & alias similes historias. Atq; vtinam id nobis semper præstare velit. Postremo quod *3. Propositi
declaratio.* primarium est, vt promissis stando instruam quidnam thesauri Christus Iesus testamento suo nobis reliquerit. Si enim rem totam perspicaci animi lustraueritis oculo, facile animaduertetis has ipsas duas virtutes, quas simplex & pauper iste suis comparauit manibus nobis die hodierna à benignissimo & liberalissimo Iesu commendatas, datas, & legatas esse.

Quas si placet possumus etiam duobus *Compara-
tur etiam
Humilis* lapillis preciosissimis adaptare. Humilitatem
R. r qui-

*adamanti
tribus de
causis.*

*Charitas
carbunculo
totidem.*

*Iste hodie
relicta à
Christo,*

*II. MEM.
BRVM
Excellentia
thesauri.*

*Vniuersim
in quatuor
consistit.*

quidem adamanti: quia candida; sincere se-
cum omnibus gerens; quia perlucida dans
bonū exemplam aliis: quia constans & for-
tis nulli tentationi cedens, nec re alia quam
sanguine hirci pro peccatis omnium oblatis
Christi Iesu frangitur: sicut in Euāgelio ho-
dierno in Petro factum videris. Charitas
vero conferri potest carbunculo. Quia rubi-
canda ex operibus misericordiarum; quia ignita
feruens diuino amore, & eos quibuscum ver-
satur inflammans; quia in noctibus tribula-
tionum in primis lucet, vt in martyribus eti-
am virgunculis, & pueris in aperto est. Itaque
has duas virtutes, tanquam munus præstan-
tissimum Christus Iesus, nobis hodie testa-
mento firmavit. Cuius rei mater sancta Ec-
clesia gratam gerens memoriam, nosque
instruens typum & exemplar vtriusque per-
fectissimum nobis ob oculos ponit. Chari-
tatis quidem in epistola; humilitatis vero in
Euangelio. Vtriusque autem in exordio E-
uangelij, præludium enim istud sicut est exi-
mium, ita ad vtrumque referendum esse ni-
hil dubito.

Verum enim uero vt ea quæ diximus cla-
riora fiant, & maiestas donorum à Christo
nobis relictorum sit illustrior, consideran-
dum est, tum in quo præstantia thesauri cu-
iusuis consistat, tum quomodo hæc in vir-
tutibus istis resplendeant. Et vniuersim
qui-

quidem loquendo, qui thesauros commenda-
dāt quadruplici id ē capite facere, & quatuor
conditiones eis apponere solent, quas eti-
am ipsa Scriptura sacra non subiecit. Pri-
ma est, vt thesaurus sit preciosus, vnde ipse
Christus Dominus regnum cœlorum com-
parauit, *negotiatori querenti bonas, & pretio-
sas margaritas.* Secunda vt sit amplus & co-
piosus, qualis fuit ille, de quo idem Saluator,
*quem qui inuenit homo in agro, vadit, & vendit
vniuersa quæ habet & emit agrum illum,* nihil
dubitans copia reperti thesauri, id illi abun-
dē compensatum iri. Tertio vt sit securus,
idcirco monet nos idem Christus vt thesau-
ros thesaurizemus nobis, *vbi fures non effodi-
unt nec furatur, neq; arugo, neq; tinea demolitur.*
Postremo vt sit rerum necessariatū, quales
sunt quæ ad victum pertinent. Sic enim di-
citur. *Dederunt preciosissima quæq; pro cibo ad
refocillandam animā.* Ea sunt vt ego arbitror
præcipua quæ in thesauris suspiciunt, & ad
quæ suspirant homines, quæ quonam mo-
do tum humilitati qua nos nobis Christum
coniungimus, tum charitati, qua nos ipse
sibi copulat, competant, iam diligentius in-
tueamur.

Et de humilitate quidem multa dicta sunt
in præcedenti concione, ideo hic ista tantum
quatuor breuiter perpendamus. Estne hu-
militas thesaurus? Equidem est preciosissi-

1. Vt sit pro-
ciosus.

Mat. 13. 46

2. Vt copia-
sus.

Mat. 13. 44

3. Vt secu-
sus.

Mat. 6. 20

4. Vt rerum
necessaria-
rum.

Thren. 1. 17

Natura ha-
rum virtuo-
rum.

rum.

HUMILI-

TATI hæc

4 applica-
tur est

rim.

*1. Preciosa
qua emittit*

mus, utpote per quem illa comparari possunt & re ipsa emuntur quæ omnium maximi sunt valoris. Quanam vero hæc sunt? Gratia & gloria. Quibus quid præclarius & carius? De utraque singula ex utroque instrumento adferamus monumenta. Dei gratia ait Isaias

*Tu gratia.
Isa. 57. 15.*

Deum habitare cum *humili spiritu ut vivificet spiritum humilium.* Inhabitatio verò & vivificatio ista non aliter utique fit quam per gratiam. De qua expressius in nouo. *Humilibus autem dat gratiam* inquit Iacobus Apostolus. Similiter de gloria. *Et humiles spiritu*

*Iac. 4. 6.
Tu gloria.*

saluabit Deus ait David. Saluator autem ore suo. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde & inuenietis requiem animabus vestris.* Salus igitur & requies animarum ex humilitate

*Psal. 33. 19.
Mat. 11. 29.*

pendet. Et notate quæso verbum illud *spiritu* quod hic aliquoties repetitum audistis. Non enim humilis & abiectus quispiam, sed qui *spiritu* est talis hæc dona possidebit. Spiritu autem humilis est qui verè & sincero corde & abiectè de seipso sentit. & vilia officia lubens obit, quale hic Christum exercuisse vides. Exercuit autem ita ut perfectissimam

*Qualis ea
esse debeat.*

Ideam huius virtutis nobis ob oculos posuerit. Nam præter sex illos humilitatis actus de quibus in præcedenti concione differuimus quorum posteriores semper sunt prioribus submissiores, summum perfectionis huius virtutis colophonem addidit: quando

Idea perfectissima humilitatis: hoc exemplum Christi.

quando

quando non superiorib. (qui infimus) non
 paribus (qui medius) sed subditis & seruis *Tres eius
 gradus.*
 infimum ministerium exhibuit, qui supre-
 mus humilitatis gradus est. O vtinam sicut
 possumus, & debemus ita velimus illum to-
 tis viribus imitari dilectissimi. Neque vero *iudicium d
 peritis qua-
 rendum.*
 de valore huius virtutis iuxta vulgi ac stul-
 torum, & insensatorum hominum iudicium
 iudicare debemus. Isti enim cum precium *NOTA.*
 ignorēt contemnunt eam & abiiciunt, non
 fecus ac gallus ille gemmam in sterquilinio
 inuentam vt est in apologo. Sed aestimare
 illam debemus secundum Scripturæ sacræ,
 sanctorum, & ipsius Dei qui illam magni-
 faciunt calculum. Propterea enim Christus
 Dominus non agresti rustico, non ignaro a-
 licui opifici, sed negociatori, & trapezita pe-
 ritissimo, qui valorem thesauri, gemmarum,
 & margaritarum bene norunt, regnum suū
 comparare voluit, vt instrueret quomodo
 nos hac in parte gerere debeamus.

Intellexistis valorem thesauri huius? co- *2. Abun-
 dans.*
 piam fortè, & amplitudinem eius nosse cu- *Duplici de
 causa.*
 pitis? Ea est omnino immensa & termino
 carens: tum executionis & imitationis re-
 spectu, tum præmij aspectu. Sicut enim nū-
 quam ita humilis quis esse potest, quin si
 velit addere aliquid ad cumulum huius vir-
 tutis queat: ita quicquid illi adieceris totum
 ad abundantiam maioris gratiæ & gloriæ
 redun-

*A simili
fossa.*

g. Secura.

*Illic perfe-
ctè. Hic du-
pliciter.*

A simili.

*4. Necessa-
ria.
Teste Chri-
sto in E-
uang.*

redundabit. Nonne recordamini humilitatem & naturam suam, & à Sanctis, locis depressis, & conuallibus comparari? Quanto ergo per virtutem istam profundior fossam in anima tua effeceris; tanto copiosius de misericordia diuina, quæ ad ima defluit participabis. Quid dicam de securitate? Ista & in hac vita magna, & in illa perfectissima est. De illa vita nemo dubitat cum ibi omnia sint absque metu. In hac duplici est capite securitas eius apparet. Tum quod inuidia careat. Quis enim misero pro quali humilis, cum ab aliis, tum à seipso reputatur, inuideat? Tum daemone causa, qui laqueos suos & potiores, & frequentiores in altis collocat. Sicut enim qui statura sunt proceriores facilius, quam pusilli ad postes, aut alia his similia loca impingunt capite: ita qui elatiori sunt animo, maiori sunt in discrimine, ne in laqueos diaboli ultro incurrant, quam humiles, & minimè ambitiosi, qui plerumque eos euadunt. Denique necessitatem huius virtutis expressam habes in Euangelio verbis Christi, tum his ad Petrum: **SI NON LAVERO TE NON HABEBIS PATREM MECUM**, tum illis ad omnes **EXEMPLVM DEDI VOBIS**, &c. At inquis hæc de obedientia intelliguntur, ut tu ipse in aliis conuentionibus es interpretatus. Sic est. Sed an ignoras

ignoras obedientiam in infimo humilitatis gradu collocari? Quid enim est aliud obedire quam submittere se voluntati superioris? Cui si quis se non humiliat, quomodo aut pari, aut inferiori ut fecit Christus se humiliabit? Impossibile id est equidem. Proinde qui obedientia caret, frustra sibi applaudit de humilitate. Tantum enim ab eo vera humilitas abest, quantum ab hypocrita vera sapientia. E contrario da tu mihi hominem verè humilem, & ego dabo illum tibi semper obsequentem.

Obedientia infimus huius militatis gradus.
NOTA.

Verum tempus est, ut ad alteram thesauri huius partem transeamus. Ad charitatem inquam quæ tanto humilitate etiam ipsa est excellentior, quanto pulchrum ædificium suo præminet fundamento. Porro Christus I E S U S duplicem nobis hodie commendavit, & reliquit charitatem, vnam quæ in nobis est, alteram quæ ipse est, illam habemus cum sobriè & iustè, & piè vivimus in hoc seculo. huius participes efficimur, cum de Eucharistia participamus. Vtriusque excellentia patet ex illis quatuor optimi thesauri conditionibus. Et illius quidem quam nos diligimus Deum; præstantiam expressit nobis Paulus illis verbis: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est ex nobis.* Quid præstantius,

CHARITATI eadem applicantur.

Qua duplex hodie relinquitur.

Tit. 2. 12.

PRIME qua in nobis est.

Rom. 5. 5.

1. Excellentia.

R r 4 quam

2. Pet. 1. 4.

quam Spiritum sanctum Deum, cordis nostri inhabitatorem possidere? Id vero fit per charitatem, per quam etiam *diuina consortes nature* efficiuntur. Ut innuit princeps Apostolorum Petrus, Nullum igitur Dei donum nobis inhaerens est charitate excellentius.

2. Copia.

Quanta vero, & quam eximia huius thesauri sit copia describit nobis integro capite Paulus Apostolus ostendens, & quam longe lateque se extendat, & quomodo ea absente, neque fides, neque prophetia, neque quicquam aliud nobis prodesse queat. Omnia enim sine illa sunt, ut *as sonans & cymbalum tinniens*. Ingens igitur est thesaurus iste, unde sic aliae virtutes locupletantur, ut hinc absolutae virtutis nomen remque obtineant.

3. Firmitas perennis.

Quod ad firmitudinem attinet eam adeo stabilit Paulus ibidem, ut asserat caeteris virtutibus cadentibus hanc manere in aeternum. Quid stabilius? At haec inquis, de illa vita intelliguntur. Nam hic nihil ea fragilius.

*Si vis: quod Salde.**NOTA.*

Respondeo tam fragilem esse eam in te, quam tu vis eam fragilem esse. Neque enim illa unquam amittitur nisi te volente, te illam repudiante, te Deum contemnente. Abstine ab istis, & perennis caritas tua erit. Eadem enim quae hic habetur permanebit aeternè (perficietur tamen) quod non fit in fide, & aliis quae ibi enumerantur. Vis huius firmitatis exemplum ex scriptura? Audi eundem

Exemplo D. Paul.

exclamantem. *Quis nos separabit à charitate Dei?* *Rom. 8.35.* Et postquam enumerasset terribilissima quæ illi obuenire possent, subdit. *Certus sum quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque alia quæ ibi enumerat multa, & concludit, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Audis charitatis stabilitatem? Audio inquis; Sed & id scio Paulum id ex reuelatione habuisse. Quid refert etiamsi tu id ignores dummodo res ita se habeat? Addo aliud. Eadem reuelatione diuina constare, eandem charitatem, si illam habes, tibi inuito nunquam erepturi. Tu igitur da operam vt constantem animum ac voluntatem habeas, ea non priuari, & non priuaberis vnquam. Illud tantum caue ne pro voluntate, velleitatem (quæ vocant) Sathan tibi submittat teque supplantet. Hæc est enim fundi vestri spiritualis tota calamitas. De quo alias. Sed & de necessitate huius thesauri non est quod differamus amplius, cum ex dictis luce meridiana constet euidentius, neque hanc, neque illam animæ vitæ, sine charitate haberi posse.

Ordo postulat vt de charitate, qua Christus nos diligit, & quæ ipse Christus est per illa quatuor puncta iam aliquid dicamus. Sed quis quæso dignitatem, & precium eius enarrare poterit cum ipsa non solum in-

Rr 5 narra-

Obiectio de reuelatione fauet.

Modus retinendi charitatem.

4. Necessitas.

ALTERI. VS, quæ ipse Christus est. L. Excel. lentia.

6ep. 7. 9.

narrabilis, sed etiam mente sit incomprehensibilis? Si enim de sapientia creata, inquit sapiens. *Non comparavi illi lapidem preciosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum aestimabitur argentum in conspectu illius;* quid nos dicemus de sapientia increata quæ in Sacramento Eucharistiæ ipsa præsens est, pascens suos corpore suo? Similiter & copiam thesauri huius quis exprimet? Vniuersim sic de eo loquitur D. Paul. *In quo videlicet Christo Iesu sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Si ergo in Christo sunt omnes sapientiæ thesauri absconditi, sapientia autem teste scriptura nullis thesauris mundi comparari potest, thesaurus hic qui ipso Christo Iesu constat, omnino modo infinito immensus erit. Firmitas autem eius tanta est, quanta orbis terrarum. Quandiu enim mundus durat tandiu perdurabit Christus in sacra hostia, nempe usque ad consummationem sæculi, frementibus licet non solum infernalibus potestatibus, sed etiam hæreticis prauitatibus: nobis vero lætantibus, & pro tanto dono summas Christo gratias agentibus. Denique necessitas huius thesauri tum ex illis verbis Christi: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis:* tum

2. Copia.
Col. 2. 3.

3. Firmitas.

Mat. 28. 20

4. Necessitas.

ex ipsa natura cibi patet. Cibo enim ad sustentandum hominem, nihil est magis necessarium.

Hæc de re incomprehensibili pauca & strictim dicta sufficiant. Perpendamus iam modum quo hunc thesaurum Christus Iesus nobis reliquerit, simulque sicut promissimus, & de quadruplici cœna illa aliquid dicamus, & historiã facti breuiter pandamus, ea quæ in aliis concionibus dicta sunt aut omittere, aut propter seriem historiæ continuandam, tantum attingendo: reliqua vero paulo copiosius diducendo. Placet autem ab illis super mel, & fauum dulcissimis verbis sermonem hunc ordiri nostrum à quibus ipse Saluator cœnam hodiernam inchoauit. Etenim postquam discubisset cum duodecim Apostolis in illa statim prorupit verba. *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar.*

*III. MEM.
BRVM
series facti.*

Quidnam tam ingenti desiderio (est enim Hebraismus vehementem declarans affectum) desideras, ô dulcissime Iesu? Num Pascha illud Iudaicum manducare cum discipulis? Non equidem mihi persuadéo, hanc primariam tanti eius desiderij causam fuisse: præcipue erat institutio noui nouæ legis sacrificij & Paschatis. Voluit tamen etiam antiquum Phasæ, quippe rem à Deo ordinatam, cum honore sepelire.

*Maximum
Christi de-
siderium.*

Luc. 22, 15.

*Refertur
ad nouum
Pascha.*

*Vetus so-
peltur.*

Inde

*PRIMA
cæna Chri-
sti ex agno
Paschali.*

Inde prima Christi incipit cæna, manducatio videlicet agni iuxta præscriptum legis Mosaicæ, quæ quoniam modo peracta fuerit Euangelistæ non expresserunt, tum quod notum id sit ex antiqua lege, tum quod primum eorum fuit institutum idem quod Christi. Illud certissimum est quod in præcedenti concione diximus Christum Iesum ex iis, quæ ad integritatem huius actus pertinebant nihil omnino vel mutasse, vel reliquisse. De eo tantum merito quis cum sanctis Patribus dubitare queat, an calix ille, de quo Lucas. *Et accepto calice gratias egit, & dixit accipite, & diuidite inter vos, ad hanc legalem cænam pertinuerit nec ne?* Respondeo breuiter ex præscripto quidem legis Mosaicæ non pertinuisse. Nam quantum recordor nihil de potu in scriptura veteri legimus: ex consuetudine tamen, & quodammodo necessitate adhiberi fuisse solitum, vix quisquam dubitare poterit. Quis enim cænam, & cænam solennem absque potu præparat? Itaque probabilius est, post esum agni Paschalis hunc calicem datum fuisse. Cû quod D. Hieronymus testetur Christum dominum duplicem calicem Apostolis porrexisset: tum quod ipse D. Lucas vtriusque mentionem faciat, prioris quidem qui non fuit consecratus iam citatis verbis: posterioris vero qui sanguinem Christi continebat illis.

*Probabili-
us illam ca-
lice termi-
natam.
Luc. 22. 17.*

*1. Ex usu
& quasi
necessitate.*

*2. Ex D.
Hieron.
D. Hier. in
c. 16. Matt.
3. Quia D.
Luc. istos
ponit cali-
ces.*

Simi-

Similiter & calicem postquam cœnauit dicens: Luc. 22. 20.
Hic est calix nouum Testamentum in sanguine
meo. vbi etiam adiungit. Articulum Græcū:
Hic est ille calix, magni sane momenti quem
 priori non apposuerat. Hac igitur ratione
 finita prima cœna, & forte etiam quæ re-
 manserat ex agno reliquiis, vt lex præcipie-
 bat igne concrematis: cum paululum accu- *Exod. 12. 10.*
 buisset.

SCIENS IESVS QVIA VENIT HO- *SECVN-*
 RA EIUS VT TRANSIRET EX HOC *D. A. cœna*
 MVNDO AD PATREM, ipse quoque *Eucharisti-*
 transitus sui parat perennem memoriam: *ca.*
 Non acerbam vt olim quando agnus cum *1. Facit ad*
 amaris *lactucis agrestibus*, & cum capite, pe- *mem. tran-*
 dibus, & intestinis vorabatur: sed dulcem *situs.*
 & suauem vt etiam in hoc legem amoris ag- *2. Dulcis.*
 noscas. Proinde CVM non interrupte aut *3. Amoris*
 breuiter sicut mundani solent homines, sed *miranda*
 toto quo cum illis erat tempore DILEXIS- *plena.*
 SET SVOS, insuper & perseveranter & fer- *NOTA.*
 uenter DILEXIT ILLOS. Perseueranter *ibid. v. 9.*
 quidem quia vsque IN FINEM id est vsq;
 ad mortem quæ post aliquot horas immi-
 nebat ei. Feuenter autem quia non violen-
 ter (talis enim, motus in fine flaccescit) vt
 plerumque faciunt homines, sed voluntariè
 & per modum naturæ, quæ quo magis ad
 terminum properat, eo fortius agit, dilige-
 bat suos Christus Iesus. Sit nomen eius hoc
 quoque

quoque nomine benedictum in secula. Qui quidem amor intensissimus tum in factis ipsis sanè stupendè relucet: tum à D. Ioanne altè & mirificè in hoc Euangelij hodierni proëmio describitur. Quod quidem quandatenus lotionem pedum aspiciat, multò magis tamen Eucharistiæ seruit, ut insinuauimus.

*Proemium
Ioan. quomodo
lotionem
pedum seruiat.*

Et de lotionem pedum quidem, indeque de humilitate cum in hac, tum in præcedenti concione multa diximus, propterea nunc solum notamus quomodo istud proëmium his subseruiat. Voluit enim eo Ioannes demonstrare qua ratione talis persona, qua maior nulla submiserit se ad tale ministerium, quo vix vilius vllum. Is inquam qui sciuit omnia, is cui OMNIA DEDIT PATER, is qui A DEO EXIUIT ideo cõsubstantialis patri & idem cum patre Deus, voluit in assumpta natura humana, adeo se humiliare, ut non maiorum vel parium, sed subditorum: non caput aut manus, sed pedes proprijs manibus voluerit abluere, nec bonorum tantum, sed & pessimi Iudæ sui proditoris. O humilitas, O amor excessiuus & immobilis, qui ne tanta quidem iniuria quantam in suo pectore Iudas conceptam tenebat, perfringi & à proposito dimoueri poterat! Precamur suppliciter dulcissime Iesu ut in nostra corda frigidissima vel minimã scintil-

*Amor Christi
est immo-
bilis.*

Oratio.

scintillam tanti feruoris tui immittere digneris, quo & inimicos nostros propter te diligere valeamus, & te dominum & magistrum nostrum pro virili parte nostra in utroque imitari studeamus.

Istud igitur primum Christi donum fuit, cui sic vel alio modo quem petentibus vobis manifestabit Iesus, hoc proœmium applicari poterit. Aliud & omnium quod excogitari poterat præstantissimum donum hodie Apostolis datum & nobis relictum, fuit Eucharistiæ Sacramentum, quod ut toties dictum est subticuit noster Ioannes, quia ab omnibus alijs tribus Euangelistis fusius conscriptum est. Sufficiat nobis vniustestimonium quod in Epistola hodierna reperit ferè totidem verbis Diuus Paulus. *Cœnantibus autem eis*, inquit Diuus Matthæus, *accepit Iesus panem & benedixit ac fregit deditque discipulis suis & ait: Accipite & comedite hoc est corpus meum.* In hoc essentia huius secundæ cœnæ Christi Iesu consistit. Cui proœmium hoc Ioannis mirificè conuenit. Explicemus prius reliqua quæ ex proœmio nondum sunt explicata: postea vero proposito applicemus. Nec video quid aliud restet præter hæc pauca. Postquam enim Ioann. alia de Christo dixisset subiungit,

*Donum al-
terum
Christi Est
charistia.*

*In qua ef-
fenti cœna
Iesus cœna
consistit.
Mat. 26. 26
1. Cor. 11.
24.*

*Proemij
pars reli-
qua expla.
Secundum
diuinit.*

SCIENS QVIA OMNIA DEDIT
EI PATER IN MANVS, Secundum
diuinitatem quidem omnia omnino, quæ
ipse pater habuit & est; præter illud quo ab
eo distinguitur, nempe paternitatem. Mo-
dum autem quo hæc illi cõmunicauit sub-
nectit dicens.

*Secundum
humanit.
Iuan. 1. 14.*

ET QVIA A PATRE EXIUIT, ab
æterno videlicet nõ factus, sed genitus non
ex nihilo, sed ex essentia Dei EXIUIT. Por-
ro, non extra cundo vt quæuis creatura, sed
intus manendo, quod soli illi cum Spiritu
sancto cõmune est. Exiuisse vero iuxta
hunc sensum dicitur, quia filius non à seip-
so, sed è Patre procedit. Alio etiam modo
EXIUIT, quia ipse solus *verbum*, scilicet æ-
ternum, *caro factum est*, & EXIUIT non lo-
cum mutando, sed humanam naturam no-
stram in se recipiendo, sibi que hypostaticè
vniendo, Secundum quam OMNIA DE-
DIT EI PATER IN MANVS, om-
nem penitus potestatem, cuius natura illa
capax fuit. Iuxta quam etiam,

ET AD DEVM VADIT. Nam se-
cundum diuinitatem nunquam ab eo reces-
serat, sed vbiq; & semper erat, est, & erit cum
patre. Iuxta humanitatem vero dicitur ire,
quia post quadraginta, & duos dies hanc ip-
sam naturam in cœlos euecturus, & ad dex-
terâ patris collocaturus erat: Nonne videtis
quam

quam altè, & quam sublimiter hic quoque nostra aquila volat? Qua vero de causa? *Scopus.*
Nempe ut inter alia vim amoris Christi erga genus nostrum agnoscas, agnoscendo demireris, demirando laudare & gratias ci agere nunquam cesses.

Quam ad rem proderit multum contemplari modum quo hoc Sacramentum institutum fuerit, quem ut dixi mirificè Ioannes depinxit per omnes septem quas vocamus circumstantias, quarum ordinem communem sequentes proœmium hoc, iterum iterumque explanabimus, ut ad oculum videas, quam aptè huic Sacramento conveniat.

Itaq; si scire voles quis nam hoc Sacramentum constituerit: respondebitur tibi, quod is qui A DEO EXIUIT, Deus de Deo, conditor & conservator rerum omnium, Christus Iesus dominus noster. Neq; enim res tanta à quoquam alio ordinari & perfici potuit, quàm ab ipsomet Deo. *Proœmium hoc Eucharistia applicatur per omnes circumstantias.*
1. Quis auctor?
Christus Deus.
2. Quid opus divinum.
Quid verò fecerit iam diximus ex alijs Evangelistis. Adde ex nostro Christum opus fecisse illo dignum cui OMNIA DEDIT PATER IN MANVS, Opus inquam omnipotentiam & sapientiam ipsius maximè spirans. Hoc nos qui in Catholica Ecclesia sumus, contra omnem hæreticorum negantium posse Deum vnum corpus multis in locis sistere perfidiam, credimus & profitemur perlubenter.

ter. Sed & sapientiam ipsius demiramur im-
mensam, qui cibo deperditum genus hu-
manum, cibo iterum reparare & restaurare
voluerit, idque eo quo deperditum fuit mo-
do & ordine.

3. Vbi? In
mundo.

Habemus præterea vbinam id fecerit quia
IN MVNDO. In hac enim peregrinatione
existentibus reliquit corpus & sanguinem
suum, tectum speciebus panis & vini, quod
in patria absque vilo velamine suis contem-
plandum præbebit in æternum. Quid ita?

1. Cor. 5.7.

Vt videlicet nunc quidem *fidem* per quam
hic *ambulamus* in nobis exaceret: tunc ve-
ro præmium fidei nobis præberet. O mira

Sap. 8.7.

& diuina eius prouidentia quæ *attingit à fine*
vsque ad finem fortiter & disponit omnia suavi-

4. Quibus?
Bonis &
malis.

ter! Habemus etiam quibusnam id relique-
rit. Non bonis modò, sed & malis. Idcirco
non Petri tantum & aliorum Apostolorum
qui MVNDI erant sed etiam IVDÆ SI-
MONIS ISCARIOTIS Cuius COR iam
DIABOLVS occupauerat fit hic mentio.
Vt & Petrus cum cæteris quomodo munda
mundè sint tractanda nos doceat: & Iudas
nimiam securitatem ac præsumptionem à
nobis arceat, cum quid Iudæ euenerit non
nos lateat.

5. Cur? Tū
ob amorem
valde sum-
mum.

Habemus & causam primariam insti-
tuti huius illis expressam verbis, CVM DI-
LEXIS-

LEXISSET SVOS QUI ERANT IN
MVNDO IN FINEM DILEXIT EOS.

De quo quia iam non pauca diximus id tantum adiungimus. Cum constet amoris naturam esse, velle sibi iungere rem amatam quam fieri potest maxime, quod in parentibus quando liberos suos amplexantur, osculantur, stringunt, fieri videmus. Christus talem vniendi se hominibus, & homines sibi modum reperit, qualis in cor hominis antea ne ascendere quidem potuit. *Dixerunt quidem olim viri tabernaculi Iob. Quis det de carnibus eius vt saturemur?* quibus verbis ad nostrum propositum vtitur Chrysostomus & Ecclesia, sed ipsi & aliter hæc forte intellexerunt, & efficere id nullo modo potuerunt: prestitit autem is qui potuit omnipotens filius patris æterni Christus Iesus, quando seipsum sub speciebus panis & vini discipulis, & nobis omnibus ad manducandum reliquit, vt hac ratione per modum cibi, quæ coniunctio omnium vniõnũ est maxime intima, & strictissima vniret nos sibi non quidem vt nos illum quod sit in aliis cibis, sed vice versa, vt ille nos in se conuerteret modo ineffabili, ac humanum intellectum longe superante: Sit nomen tuum, ô Christe Iesu, benedictum in æternum; & non sit quæso labor, & amor tuus cassus in nobis, sed effice & perfice vt fructuum qui inde

NOTA.

*Tum ob
fructus exi-
mios.*

in eos qui digne communicant, emanant, efficiamur participes. Qui vero sint fructus illi nimis longum foret recensere, aliquando data occasione id facere poterimus, præcipua eorum capita, sunt gratia, & gloria; Si enim per humilitatem hæc habentur, ut superius docuimus, quanto magis per hoc Sacramentum? non solum ut illic ratione nostri operis, sed etiam ex vi Sacramenti. Huc accedit peccatorum venialium remissio, contra tentationes munimen, consolationes, & visitationes spirituales, & his similia, quæ gustu potius & experientia, quam auribus vel intellectu vos percipere malo, cupio, & ut fiat à Domino Iesu obnixè precor.

*6. Quando?
sub finem
vita.*

Habemus præter dicta etiam tempus quo hæc acta sunt notatum illis verbis, SCIENS IESVS QVIA VENIT HORA EIVS VT TRANSIRET EX HOC MVNDO, ut hinc quoque amorem ipsius agnoscamus. Idcirco enim tamdiu distulit, ut fortius mentibus Apostolorum & omnium nostrum infigeretur, quod sub finem vitæ actum fuit. Nostis enim ex historijs & experientia ita ipsa hæc fieri. Habemus deniq;

*7. Quo-
modo?*

modum quo hæc instituta fuere, cuius partem iam explicauimus, nunc reliqua persequamur.

*Inter primam
& secundam
cœnam.*

Quorum illud primum sit cœnam hanc Christi

Christi domini propriam cœnæ illi priori quæ iuxta legem Moyſi perficiebatur & ſimilem & abſimilem eſſe, multis nominibus. Nobis tres conuenientias totidemq; diſſidia demonſtraſſe ſat erit. Conueniunt primo: quia ſicut agnus prius immolabatur dicente domino per Moyſen *Immolabit eum vniuerſa multitudo filiorum Iſrael ad vesperam;* ita hic per ipſum ſumum Sacerdotem Chriſtam Ieſum ſacrificium & immolatio ſui ipſius primum peracta fuit. Deinde ſicut ibi de agno immolato omnes manducabant: ita hic omnes Apoſtoli qui ad hoc deſtinati erant, de ſacrificio Chriſti participarunt. Poſtremo ſicut hic: ita ibi omnia fiebāt in memoriam Phaſe, id eſt tranſitus domini. Diſſerebant autem principio, quia illud agni ſacrificium cruentè iuxta modum Sacerdoti Aaron, hoc in cruentè ſecundum ordinem Melchizedech perficiebatur. Talis enim Sacerdos Chriſtus Ieſus à Deo ſuramento firmatus dicente Dauid. *Iurauit Dominus & nō pœnitēbit eum, tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchizedech.* Inde ſicut Melchizedech: ita Chriſtus Dominus in ſuo ſacrificio pane & vino utebatur. Secundo in illo ſacrificio fuit agnus de grege communis, in hoc vero ille de quo præcurſor. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Denique ibi erat memoria trāſitus illius, quando

ſſ 3 per

Tres conuenientia.

1. Immolatio. Exo. 12. 6.

2. Manducatio.

3. Phaſe.

Totidem differentia.

1. Ratione ſacerdotij & ſacrificij

Pſa. 109. 4.

Heb. 5. 6. Gen. 14. 18.

2. Ratione agni.

Ioan. 1. 29.

3. Ratione Tranſitus diuerſi.

Exod. 11. 5. per Ægyptum transibat Dominus percutiens omnia primogenita Ægyptiorum, à primogenito Pharaonis ad primogenitum ancillæ, & omnia primogenita iumentorum : Sic vero est memoria transitus illius, de quo audistis in Euangelio, Christi videlicet, **EX HOC MÜNDO AD PATREM.** Plura discrimina persequi nolo cum omnibus sint obuia. Nam & modus manducandi, & cæremoniæ aliæque his similia utrobique erant diuersissima. Nec mirû figura enim illa, & umbra fuit; hic vero lux & veritas ipsa: Et hæc de secunda cœna, in qua Christus sub sola specie panis seipsam discipulis manducandum præbuit, non sine mysterio dicta sufficiant.

Plures alia.

TERTIA
cæna homi-
nis. In qua

1. Contentione de primatu apostolica.

Luc. 22. 24
Side Tobin
cap. 18. 10.

An. 2.
2. Doctrina data.

3. Quæstio de traditore

Sequitur tertia cœna quam communem vocauimus eo quod ex communibus circulis, quæ præter agnum à Iudæis parabantur & manducabantur constaret. Sub qua hæc acta videntur. Primum contentio inter Apostolos, quis eorum videretur esse maior, importuna sanè & inconueniens cum omni, tum illo tempore. Idcirco Christus Dominus statim eam compescuit: tum suo exemplo: tum differentia posita inter gentium, & suorum prælaturas. Deinde doctrina Christi de missionibus, ut scirent omnes, quanti valoris sit missum ab eo honorificè recipere. Postremo tum protestatio Christi,

Christi, quod vnus illorum esset cum traditurus; tum inquisitio discipulorum, quæ haud paruo durarunt tempore. Porro cœnasse illos interim patet ex dictis Christi cum his: *Ecce manus tradentis me mecum est in mensa*: tum illis. *Vnus ex duodecim qui intingit mecum manum in catino*, &c. Intinctio enim ista comestionis signum est euidentis. Sicut & illa alia, quando intinctum panem porrexit Iudæ. Quam tamen post quartam demum cœnam contigisse arbitror.

Quarta igitur cœna fuit quam illis verbis D. Lucas, & Paulus expressit. *Similiter & calicem. Postquam cœnauit*. Postquam videlicet omnes cœnas perfecit, tum primum omnibus quidem duodecim calicem consecratum, soli autem Iudæ paulo post buccellam porrexit, qua Iudas accepta exiuit continuo. Hæc videtur series cœnæ vel cœnarum quas hodie Christus Dominus habuit ex ipsis Euangelistarum deprompta verbis. Iuxta quam seriem eximie sibi inuicem constabunt omnes prout quicumque diligenter dicta eorum perpenderit facile animaduertere poterit. Et de tribus quidem cœnis prioribus nulla fere est inter doctores controuersia omnibus eas approbantibus. Quartâ cur maioris distinctionis causa addiderim impulit me: primario quidem dicti.

*Luc. 22. 21.**Mat. 24. 20**Ioan. 13. 26**QVART-**TA cœna**Novâ.**Luc. 22. 20.**1. Cor. 11. 25**Cur ea po-**sita?**1. Ob con-**cordiam**Euangel.**2. Distin-**ctionis cau-**sa.*

3. *Propter
Lucam &
Paulum.*

4. *Quia sic
hæc pulchrè
coharèt om-
nia.*

*Occupatio
oblationis.*

*Quid inde
fructus.*

*Conclusio.
NOTA.*

dicti, Lucas & Paulus qui claris verbis calicem post cœnam datum asseuerant. Inter quem & porrectionem panis multum temporis intercessisse ex dictis patet. Deinde vero quia hac ratione pulchrè sibi coherent vniuersa. Sicut enim tertiam à prima, vt omnes consentiunt, ita quartam à tertia separauit.

Quorsum inquires hæc diuidis, cum in porrectione calicis nihil noui ad ea quæ in distributione speciei panis data erant Christus adiecerit? Respondeo non à nobis, sed ab ipso Christo ista diuidi. Qui an aliquid tunc aliud adiunxerit ipse solus nouit qui fecit. Nos id certo scimus tum speciem alteram additam, tunc fuisse, tum separationem istam vnius ab altera speciei frustra factam non fuisse; ab illo qui nihil vnquam egit frustra. Quid? paruine beneficij loco reputabimus quod hoc ipso facto demonstrauerit posse vnâ speciem ab altera in vsu huius Sacramenti separari: vt hac ratione contra tumultuantes hæreticos, quos nunc experimur multo ante nobis antidotum præpararit? Sit igitur hoc quoque nomine nomen ipsius benedictum in sæcula, ab ecclesia Sanctorum. Concludo salua in omnibus fide Catholica, & dico tribus verbis Christum Dominum accipiendo quidem benedicendo, & porrigendo

do priorem speciem, tum Sacramentum Eucharistiæ constituisse, tum sanctissimum nouæ legis sacrificium, ac Apostolorum in Sacerdotes, imo in Episcopos consecrationem inchoasse. Post cœnam vero in oblatione calicis vtrumque perfecisse, & simul id quod iam diximus docuisse: nempe posse vnâ speciem separari ab alia: vnâque ad participationem de corpore & sanguine ipsius omnino sufficere. Hæc quæ Deus dedit vobiscum communicare volui: vos petite à Domino Iesu, & faciet vt plures facti huius rationes percipiatis. Vocauit autem hanc postremam cœnam nouam. Quia in ea nouum noui Testamenti sacrificium perfectum fuit. His autem omnibus cœnis absolutis post discessum proditoris cœpit Dominus Iesus, & perfecit illam suam concionem augustissimam, altissimam, vtilissimam, quam ad solos electos discipulos habuit. Ex quo quidem sermone, quia pleraque Euangelia, quæ post Pascha leguntur sunt desumpta eo erant reliqua remittenda: nunc vero vltimum, quod proposuimus perficiendum.

Qua erga ratione pro tantis thesauris, donis, & beneficiis nobis à Christo IESU hodie benigniter, & liberaliter relictis

Ss 5 grati

Cur hæc cœna noua dicatur.

Reliquam historiam percurritur.

IV. MEM. Gratitude.

*In duobus
consistit.*

*1. In accer-
ptando.
2. Igitur
facient.*

*Tam sacer-
dotes.*

Tum aliq.

grati erimus? Dixi alias & sæpius dicendum est. Nos maiorem gratiam Deo præstare non posse, quam dona ipsius acceptando, & ad ea ritè sumenda digne nos præparando. Tanta enim est Dei nostri maiestas, ut nihil ei reddere valeamus, tanquam ex nobiscū ipsis sint omnia: tanta vero eius est bonitas, ut beneficij loco reputet si dona data non repudiemus, sed eis rectè utamur. Acceptanda sunt igitur munera nobis hodie data, donata, & testamento legata. Inprimis vero illud maximum omnium donorum donum, in quo ipse Christus Iesus verè & realiter continetur. Quare qui sacerdotes sunt dabunt omnem operam, ut ita viuant quo ad augustissimum hunc cibum quotidie tum offerendum, tum sumendum apti reperiantur. Hoc enim est Deo optimo maximo summe acceptabile sacrificiū; Hoc ecclesiæ Christi & fidelium tam viuorum, quam defunctorum singulare subsidium ac emolumentum. Hoc nostrum contra omnes hæreticorum perfidias vnicum solatiū. Qui vero sacerdotes non sunt, statis temporibus iuxta confessarij consilium ad acceptandum hoc beneficium, & sumendam sacram Eucharistiam, ut ipsi quoq; frequenter sese præparent omnes, omnem dabunt operam & diligentiam.

Præ-

Præparationes vero tam pro his quam pro illis : tam pro offerentibus, quam pro iis qui de immolatis participant sunt illæ, de quibus tota hac concione disseruimus, & reducuntur ad duas illas gemmas preciosissimas ad humilitatem inquam, & charitatem quas duas virtutes CHRISTVS IESVS Dominus noster, tum verbis, tum exemplo nobis hodie apprimè commendavit. In iis ergo nos diligenter, solidè, & incessanter exerceamus dilectissimi. Humilitas docebit nos cognitionem vilitatis, & ut ita dicam nihilatis nostræ. Humilitas faciet ut non solum à magnis criminibus caput & pectus : sed etiam à peccatis venialibus pedes nostros per Sacramentum penitentia, & opera abiectiora abluamus, antequam ad hunc cibum sumendum accedamus. Humilitas instruet, quomodo etiam inimicis nostris nos submittere, & in tribulationibus gerere debeamus. Humilitas efficiet ut proximis nostris culpas sincere & alacriter condonemus : & si illum offendimus veniam submitte postulemus. Humilitas denique præstabit, ut cum Petro confitemur indignos nos esse, non solum ut Christum recipiamus. Sed etiam ut tangi nos ab illo patiamur.

Charitas vero docebit nos quis & quam magnus

2. In præparatione per duas illas virtutes.

Humilitatem cuius hic sex effectus.

Et charitatem qua plura etiam habet.

1010 . IN CENA DOMINI.

magnus sit ille quem sumimus : charitas
in continuas gratiarum actiones CHRIS-
TŌ IESV pro tantis beneficiis decan-
tandas resoluet corda, & ora nostra. Cha-
ritas ad exercenda opera misericordie, &
ad elemosynas largas indigenti tribuen-
das nos identidem vrgebit. Charitas ef-
ficiet, vt cum eodem Petro voluntatem no-
stram cum voluntate CHRISTI, tum
hic, tum in omnibus aliis conformemus:
Charitas præstabit, vt sicut Dominus IES-
VS desiderio magno desiderauit mandu-
care, tum vetus tum nouum Pascha, cum
discipulis suis : ita nos imitando illum de-
sideremus, tum veterem hominem cum
concupiscentiis suis in nobis mortificare
ac sepelire : tum nouum superinduere, &
1. Cor. 5. 7. est teste Apostolo, alacriter, & cum amo-
re participare, tum sacramentaliter statis
temporibus dicto modo : tum spirituali-
ter quotidie plures etiam missas audiendo,
& in his deuotè spiritualiter communican-
do. Charitas denique perficiet, vt quantum
in nobis est studeamus amore nostro amo-
ri CHRISTI respondere, feruorem & ar-
dorem in nobis excitando, vniri cum illo
impensè desiderando ; & in amore ac dile-
ctione ipsius non solum perseverando, sed
etiam

etiam vt dilectio nostra, quo magis ad finem
vitæ properamus, eo sit intentior procu-
rando. Itaque vt vnde cœpit nostra finia-
tur oratio: Vos ego mihi in CHRISTO
dilectissimos vna mecum moræo, hortor,
& obsecro, vt imitando illum simplicem
sapientissimum, & pauperem ditissimum si-
nistra quidem manu humilitatis dextra ve-
ro charitatis strictissime amplectamur
CHRISTVM IESVM Dominum, & ama-
torem nostrum; neque eum dimittamus
donec introducat nos in domum patris sui,
& in cubiculum genitoris sui, vbi ipse cum
eodem Patre in vnitæte Spiritus sancti
viuit & regnat Deus per sæcu-
la, Amen.

*Conclusio
Et duabus
illis manib.
pauperis
stringamus
Iesum.*

Cant. 3. 4.

* *
*



FERIA